BEATI DOMINI

HALLGRIMI PETRÆI

Paſtoris olim in Iſlandia

Eccl. Saurbajenſis

PSALTERIUM PASSIONALE.

(Sive

PSALMI QVINQVAGINTA

DE PASSIONE ET MORTE DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI.)

Cum clara & ſimplici Textus Explicatione & applicatione Islandico Idiomate devotè adornatum.

Nunc autem

Sub iisdem metris & melodiis Latine translatum

a COLBENO THORSTENI F.

P. Middalenſis.

HAVNIÆ, 1778.

Typis M. HALLAGERI, auſpiciis & ſumptibus Dni. OLAI STEPHANI, Qvadrantum Iſlandiæ Septentrionalis & orientalis Præfecti, editum.

Prænobilissimo & Amplissimo

DOMINO

Dn. OLAO STEPHANI filio,

Qvadrantum Islandiæ Septentrionalis & orientalis

PRÆFECTO

DIGNISSIMO,

Patrono & Benefactori meo

ætatem colendo.

Opusculi hujus Svasori

&

Promotori paterno.

Id ipſum,

Qvod jure ſuum eſt,

Humillime dedico

&

Devotiſſime conſecro

Ejus Amplitudinis.

Cultor humillimus

Translator.

LECTORI BENEVOLO
Pacem & Gratiam
per
JESUM CHRISTUM!

Ne mutet homo qvicqvam de moneta, qvam cuderunt Sapientes, ajunt Talmudici: Qvam Sententiam ex multorum Consiliis, secuturus, de moneta spirituali qvam in

Pſalterio ſuô, Summi Regis juſſu cudit noſtratium olim vir Sapientiſſimus & Poëta inſignis Dn. Hallgrimus Petri filius, in cariſſimæ mercis Similitudine extra Patriam deportanda, aut nihil, aut qvam minimum fieri potuit, mutare volui. Idem itaqve, tam qvoad Subſtantiam, ſive voces & verba ſimpliciſſima, qvam qvoad accidentia, metra nempe & melodias, Pſalterium Paſſionale Dn. Hallgrimi Petræi Iſlandicum, jam vero latinè redditum tibi defero. Vides hic omnis

nis Generis Jambica dimetra, qvæ inter dum solis Jambis, plerumqve verò Spondæis & Jambis alternatis constant, in hymnos rythmicos naturaliter qvadrantia, per singulos Psalmorum adhiberi, præter tricesimum & quadragesimum Octavum, qvi Trochaica reqvirunt. Qvoniam verò verba mentis esse interpretem nosti, non tibi displicebit, me qvam proximè potui, Autoris vestigiis inhæsisse, ut eo facilius mentem ejus haberes, & penetrantem efficaciam ac delectamentum

tibi

tibi applicares. Fruere igitur, Lector Benevole! hoc meo conamine, boniqve consule!

Middal,
pridie Cal. Sept. 1777.

Tui favoris studiosissimus
K. *TH. F.*

PSALTERIUM PASSIONALE.

PSALMUS I.

DE EXITU CHRISTI IN HORTUM.

1. Exſurge mens in intimis,
Vis ſurge tota corporis,
Cum corde lingva conſona
Chriſti memento vulnera.

2. Qvod ipſe Paulus incolas
Orbis monebat, arduas
Annunciemus Optimi
Afflictiones Jeſuli.

3. Pro me Redemptor in ſuam
Perrexit ægrimoniam,
Qvam gratus ipſe debeo
Hoc nunciare Sedulò!

4. Me pœnitet jam deniqve
Ingratitudinis meæ
Qvod innocens dum cæditur
Vix mentione tangitur

5. Spectemus, evge! Victimam
Qvæ promerebat gratiam
Inter ſceleſtos & Deum,
O! Dulce nobis gaudium!

6. Qvid corde prodeſt anxio
Ut ſancta Jeſu paſſio?
Qvid tam retundit crimina
Qvam forma Chriſti ſaucia?

7. Aut unde, qvæſo, cernimus,
Qvam diligat nos Optimus
Pater Creator Seculi,
Ut paſſione filii?

8. O! mi Redemptor! dirige
Me ſemper almo Numine,
Ut carmen hocce ſit tibi
In gloriam, Salus mihi!

TEXTUS.

9. *Cœnatus ipſe cum ſuis*
Dat gratias, Apoſtolis,
Innocte morti proxima
Patri voluptas unica.

10. Dei ſupremi filius
Terrâ polôqve maximus
Carnis diebus intimas
Pro pane ſolvit gratias.

11. Mortalis! ecce cœlitus
In portione ſumimus,
Qvô ſuſtinemur indies,
Id mente grata cogites.

12. Qvin erubeſcat improbus
Neqvam ſuperbis geſtibus
Divina carpens munera,
A qvô Deus! me libera.

13. *Deo ſolutis laudibus*
Salvator exit Optimus,
Ut more qvondam contigit,
Ad montem Olivæ prodiit.

14. Solenne laudis percipe
Salutis ipſo a principe,
Nec ſis profectus limine
Niſi invocatô Numine.

15. *Tranſit Kedronis rivulúm*
Nigro colore ſqvalidum
Jeſus. Qvod omni tempore
Nos edocebit optimè.

16. In ſorte qvâvis arduâ,
Et morte tandem pallidâ
Præceſſit ipſe, gaudeo
Eum ſeqvi veſtigio.

17. Te mentis acrî lumine
Cerno, Redemptor! & tuæ
Vitæ innocentis formulam
Ad me libenter conferam.

18. Hortum petebas, & prius
Te ſponte ſiſtis hoſtibus,
Neqvis tumultus extuis
Accenderetur vinculis

19. Exinde difco; proprio
Præferre femper commodo
Leges honefti fœderis;
Mites piosqve diligis.
20. Mœrore triftis anxiô
Talis fuit profectio;
In calle rifi criminum,
Qvod folvis ipfe debitum
21. Hæc vita cum fit oppidò
Ad hortulum proceffio,
Ne confeqvaris impios
Ad tartara ufqve devios.
22. Si carpimus veftigia
Vitæ gementes fingula,
Obdormiendô patriis
Siftemur ultrô gaudiis.
23. *Inter meandum proprios*
Salvatòr hic Apoftolos
Lapfum futurum præmonet,
Negare Petrus fuftinet.
24. Prænovit imminentia
Jefus mihi pericula,
Solamen ipfum non fugit,
Qvod me facillime erigit.
25. *At Petrus inqvit: E tuô*
Non decidam fervitiô
Qvamvis recedant cæteri.
Obfecro, crede jam mihi.

26. Ob-

26. Obſcura ſpes & debilis
Virtute nixa corporis;
Humana ſunt molimina
Nil, absqve Jeſu gratia.
27. Jeſu! doce me vaſculo
Theſaurum habere vitreo;
Obſervo, me qvod admones,
Infirmitatem prævides.

PSALMUS II.

DE PASSIONE CHRISTI IN HORTO.

1. *In Gethſemanes hortulum*
Redemptor it mortalium.
Qvem preſſa tinxit optime
Oliva tali nomine;
Oliva vitæ qvi fuit,
Oleum ſalutis hic dedit.
2. Origo facta criminum
Eſt primum in horto per virum;
Hortenſis arbor edidit
Pomum, qvod omnes perdidit,
Lignum ſtat hocce denuò
Vitæ ferax in hortulo.
3. *Novitqve Judas hunc locum*,
Qvô duxerat facillimum
Ipſo Sathana principe,
Suum magiſtrum prodere,

Ut hoc modo nefarium
Scelus lateret abditum.
4. Sic memet hoſtis inferus
Noctu dieqve peſſimus
Inſtigat, urget, obſidet,
Periculis ut implicet
Culpâqve, maxime in loco
Qvem rite ſacris deſtino.
5. Et ejus hæc veſtigia
Mundana fex neqviſſima
Legit, ſtruens fidelibus
Technas Dei cultoribus;
Sed ipſe Jeſus a ſuis
Repellat hos ſetvitiis.
6. *Huc venerat ſæpiſſime*
Jeſus, ibiqve maximè
Se præparans ad ultimum
Certamen, adjutorium
Patrem precatus, horrida
Ut ſuſtineret fulmina.
7. Hortum Dei, credentium
Appello Cæmeterium,
In hoc loco fidelibus
Vaces precationibus,
Tum mors & excitatio
Sit acta mente Sedulò.
8. *Qvosdam reliqvit eminus*
Ex conſecutis fratribus,

Sed

Sed ipſe tres Apoſtolos
Sibi locavit proximos,
Ne ſolus eſſet: Singula
Hæc verba mente pondera.
9. Electa gens fidelium
Se confitetur hortulum;
Diſciple Chriſti conſide
Qva ſede vult Rex gloriæ,
Obediens & ad crucem
Veni citatus pergravem.
10. Tentationem ſi feras,
Ne ſolus eſſe gaudeas,
Inter pios te contine,
Eosqve rite conſule;
Solamen alter alteri
Juſſu dabunt altiſſimi.
11. *Extremus angor occupat*
Jeſum, nimisqve ſauciat,
Caro beata contremit,
Viſumqve fletus impedit,
Et inqvit: Afficit meum
Lethalis horror ſpiritum.
12. *Ictum lapilli prodiit*,
Pronusqve in ora concidit,
Perpeſſus immaniſſima
Iræ paternæ verbera,
Intra ſuum palatium
Cor palpitavit fervidum,

13. Horreſco conſcientiâ,
Qvæ perpetravi crimina
Tibi Redemptor Optime
Tantum dabant moleſtiæ,
Te ſervus immutabilem
Læſi ſalutis principem.

14. Delicta credo pondere
Terram polumqve vincere,
Verbum patris qvod optima
Virtute portans omnia
Mundi ſceleſti debitis
Succumbat impiiſſimis.

15. Hinc læta conſolatio
Cordi reſurgit anxio,
Piamen iſtud omnibus
Scit eſſe ponderoſius;
Jeſu tremenda paſſio
Dei fuit placatio.

16. *Poſtqvam Redemptor procidit*
Preces ad aſtra ſuſtulit:
Abba pater cariſſime,
Huic poculo me ſubtrahe,
Et addit, attamen tua
Fiat voluntas optima.

17. Tibi beatè conſulis,
Si rebus adverſiſſimis
Ex corde triſti & ſubdito
Fundatur invocatio;

At

At pertinaci murmure
Pæna aggravatur maximè.
18. Si corpori qvid expetis,
Humillime popofceris,
Nam qvæqve vitæ commoda
Patris fupremi lumina
Videre crede, fic tibi
Ab his benignè profpici.
19. Sit corpus atqve fpiritus
In comprecationibus
Supplex, qvod altor cœlitum
Sacrum reqvirit intimum;
Decetqve membra cum Deo
Devota converfatio.
20. Hortenfis ifta paffio
Summo replet me gaudio,
Nam trifte Jefu cor tuum
Cor trifte liberat meum;
Ex corde femper deferam
Emanueli gloriam.

PSALMUS III.

DE CHRISTI CERTAMINE MORTIS.

1. Jam lingva rurfus incipe
Pangens eodem carmine!
Jefus precando fubftitit,
Feffos ter artus erigit,

Redormiunt Apoſtoli,
Cæpitqve Petrus argui.
2. *Hinc inde ter ſe Jeſulus*
Movit, qvietis indigus
Redactus usqve ad incitas.
Ire potentis flammulas
Perſenſit imo pectore
In carne, vena, ſangvine.
3. Lux alma cæli defuit,
Nox atra ſeſe præbuit;
Amica conſolatio
Sopore fugit indito;
Tellus excepit horrida,
Nec ulla erant levamina.
4. Hinc perferenda ſicui
Dei ſit ira maximi,
Negare crede ſingula
Solamen, adjutoria.
Ipſius indignatio
Horrenda condemnatio
5. Deinde conſtat, effera
Qvam tartari ſint fulmina,
Damnata gens caligini
Ab hâc, ad illam corripi
Pœnam tenetur, ut malis
Pendantur acta præmiis.
6. Exinde dulcis illicò
Emergit informatio,

Nam lacrymis incendia
Exſtinxit infernalia
Jeſus & iram Numinis,
Ut adjuvarer ſingulis.

7. Jeſus dolentis greſſibus
Ad adſtra ducor fulgidus;
Vexatur is caligine,
Me lux juvabit gratiæ;
Jeſus amicis indiget,
Semper Deus me diliget.

8. *Eoqve tandem Venerat,*
Cum morte Jeſus dimicat.
Tum fata, nobis qvæ dabit,
Feliciora reddidit.
Mors victa, victor dat Deus
Victoriam credentibus.

9. *Agonis iſta vis fuit,*
Cui nulla compar extitit,
Sudore totus in ſuo
Madebat ipſè coccino,
Et decidebant guttulæ
Vi paſſionis horridæ.

10. Adæ nefando crimine
Fædata terra maximè
Jeſu beati ſangvinis
Vi reſtituta, ſingulis
Producit annis optimos
Nobis alendis, floſculos.

11. Cum

11. Cum deniqve ipſe frigido
Sudore mortis palleo,
Jeſu cruoris fervidi
Sudor levamen ſit mihi;
Detur Gehennæ tetrica
Vitare Sudatoria.
12. Tui memor certaminis
In omnibus diluculis
Meo reſurgens lectulo
Laudem tibimet offero;
Tuo beatus ſangvine
Terris peropto vivere.
13. Dolore raptus anxio
In hortulum hunc me confero,
Tui cruoris optimas
Ad colligendum guttulas,
Qvibus meo pro Crimine
Deo ſatis ſit maximè.
14. Terroris apportatio
Divinaqve indignatio
Deleta, nam piaculum
Deo placebat editum.
Iram ferebat filius,
Evaſit inde ſervulus.
15. *Urgente pœna Jeſulus*
Fudit preces inixius,
Mox angelus comparuit,
Opemqve feſſo præſtitit

Et hinc tenenda ſedulô
Reſultat informatio.
16. Si differatur admodum
Opis ferendæ gaudium,
Eô magis ſuſpiriis
Deum fatiga candidis;
Ipſius erga debiles
Paterna conſtat indoles.
17. Vigil ſupernus adfuit
Solatiumqve detulit
Jeſu; Piis precantibus
Aſtare eosdem credimus,
At maximè ſub ultimum
Vitæ fugacis terminum.
18. Tellus olympo concine,
Chriſti ſacrata nomine,
Laudum ſonora carmina,
Cordis movete Cymbala,
In Jeſuli digniſſimam
Nos liberantis gloriam.

PSALMUS IV.

DE COLLOQVIO CHRISTI CUM DISCIPULIS.

1. *Salvator ipſe Apoſtolos*
Tres eligebat proximos
Sibi, Soporis impotes
Jubens precari debiles.

2. *At prodeunte paululum*
Repentè ſenſus omnium
Sopor qvietus occupat,
Vigil Redemptor manſerat.
3. Vatum repleta dictio,
Jeſum, volente ſic Deo,
Iræ Potentis unicum
Exſtare torcularium.
4. Natura cæca, debilis
Indormit actibus malis,
Vires Redemptor ſi meas
Jactum lapilli deſeras.
5. Securus ipſe dormiam
Si nocte Jeſu gaudeam
Tutore, qvovis veſpere
Qvod te precabor intimè.
6. *Qvanqvam dolore contremat,*
Jeſus eos ter viſitat,
Petrumqve triſtis admonet,
Inſomnem ut horam duceret.
7. *Sopitur at profundius*
Reſponſa neſcientibus
A ſe profecta cæteris,
Qvæ major anſa lacrymis.
8. Duxiſſe memet Jeſulum
Suæ in ſalutis hortulum
Ut pervigil ſim maximè,
Patet ſacrato flumine.

9. At

9. At me ſoporât admodum
Infantiæ periculum,
Sed â parentibus piis
Tunc exitabar virgulis.
10. Creſcente ſomnus tempore
Mentem ſubît laſciviæ,
E qvô fui paſtoriis
Expergefactus buccinis.
11. Adultus ipſe flebili
Oblivione dormii,
Amore mundum proſeqvens,
Precum laborem negligens.
12. Cæleſte tum ſpiraculum
Illuminavit cor meum,
Stulto ſopore langvidus
Qvod æſtimavi nullius.
13. O cæca qvam vecordia!
Jeſu remittat gratia,
Qvod hâc dolores illius
Auxi, mihimet noxius.
14. Tamen Redemptor optime,
Monere nunqvam deſine,
De me benignè cogita,
Et ſi placebit, verbera.
15. Tecum per opto deniqve
Vigil precansqve vivere,
Paratus etſi Spiritus
A carne ſit coërcitus.

16. *Jesus alumnis hac vicè*
Permiserat qviescere.
Ut inde clementissima
In nos patescat gratia.
17. *At proditoris ultimò*
Præsente turbine impio;
Rupto qvietis tempore,
Jussit precatum surgere.
18. Mens cara! talis illicò
Te tangat exhortatio,
Ne somnus adsit altior,
Tibi propinqvat proditor.
19. Mors atra vitam decipit,
Citoqve multos abripit,
Latenter astat, indies
Lacessitura debiles.
20. Morti putato proximam
Damnationis formulam,
Et haud procul Diabolum
Animæ parare incendium.
21. Ne dormiens hoc agmine
Ferô petaris, præcave,
Vigilqve pœnitentia
Vestem salutis postula.
22. Orare nunqvam desinas,
Ne noxium qvid incidas,
Tum mente fessâ & corpore
Clavem tenebis gratiæ.

23. Ex-

23. Expers cadaver frigidum
Visus, loqvelæ & aurium,
Orationis nescius
Propè æmulatur Spiritus.
24. In me Vigil sis Jesule,
In te Vigil sim maximè,
Sit mens vigil cum dormio
Tutore nixa Jesulo.

PSALMUS V.

DE JUDÆORUM ADVENTU IN HORTUM.

1. *Qvando Redemptor optimus*
Proferret hæc, exercitus,
Hortum petit freqventior
Fallaxqve Judas proditor,
Enses facesqve lucidas
Gestans, ad fraudulentias
Paratus ultro pessimas.
2. Nullo timente, noxium
Sæpe ingruit periculum,
Qvandoqve noctem fallere
Est cogitandum vespere,
Qvicqvid timoris incidat,
Jesus precantes adjuvat,
Terroribusqve liberat.
3. *Judas repletum fraudibus*
Signum dedit seqventibus

Qvem lætus inqvit, osculor,
Sit vinculis astrictior.
Astutiam mens abstine,
Etsi latet, committere,
Deô palam fit judice.

4. *Sibi futura præsciit*
Jesus, & ipse prodiit,
Sciscens ab hoste comiter
Qvem qværitis tam gnaviter.
Utiqve sese Jesulum
Qvæsisse Nazareticum,
Respondet agmen impium.

5. *Jesus fatetur: id sibi*
N*omen, prope astat agmini*
Judas, ad efficacius
Verbum retro cadentibus.
Qvod territavit impios
Hostes, Potenti credulos
Solatur afflictissimos.

6. Hallucinante me, Deus
Movetur irâ Sæpius;
Jesus ait: Qvem liberè
Fuso redemi sangvine
Peccator absit, O Pater!
Ut puniatur acriter,
Absolvor hinc ut integer.

7. Torqvente conscientiâ
Hostisqve truculentiâ,

Jesus

Jeſus ait: cordis tui
Sum qvi reatum dilui,
Qvemadmodum diſperditas
Ventus ferit nubeculas.
Credens Salute gaudeas.

8. Si qvando pauper vixero,
Morbosqve triſtis perfero,
Jeſus ait: Doloribus
Sum qvi medebor omnibus;
Opes & immortalia
Spondet miſello gaudia
Victor potens in Secula.

9. In morte & hora judicis
Solamen O Jeſu, dabis,
Dicens in arcem gloriæ
Te ſum paratus ducere,
Servus fruetur gaudio
Mecum, tua eſt promiſſio,
Tum pace lætus dormio.

10. Jeſu tibi reſpondeo,
Te corde ſum qvi diligo
Et de tuapte ſim, precor
Dilectione certior;
Qvæ verba amore dulcia
Nos colloqvamur omnia
Per ſeculorum ſecula.

PSALMUS VI.

DE OSCULO JUDÆ ET PREHENSIONE CHRISTI.

1. *Redemptor à malignis*
   Non fugit hostibus
   Interrogat benignis
   Eosqve vocibus:
   Hæc turba concitato
   Qvam qværit agmine?
   Nos, inqviunt, putato,
   Jesum reqvirere.

2. *Hunc esse se fatetur*
   Salvator Optimus;
   Apostolos tuetur
   A perditoribus;
   Si memet impetatis,
   Istos remittite.
   Verbis qvod ante gratis
   Promiserat piè.

3. Vestigium elucescit
   Jesu potentiæ,
   Invitum eundem nescit
   Hostis præhendere.
   Si me ferociores
   Sectantur odiis,
   Cedent coactiores
   Ad velle Numinis.

4. Je-

4. Jeſum patri placentem
   Vis urgit hoſtium,
Nam ſe dedit dolentem
   Pro me piaculum;
Solutus & pavore
   Præſtabo debitam
Ipſi fideli amore
   Obedientiam.

5. *Judas eum obſculatur,*
   Et corde duplici,
Magiſter! Apprecatur,
   Eſto ſalus tibi.
Salvatur inqviebat
   Amice! ſvavio
Me prodis? an decebat
   Hæc retributio.

6. Serpens Evæ negatô
   Decepit os pomô;
Jeſu tuum fucato
   Vir fraudat oſculô;
Depelle blandientem
   A me diabolum,
Mundiqve Sævientem
   Retunde Spiritum.

7. A fraudibus doloſis
   Averte me Deus,
Mentemqve virtuoſis
   Accinge fructibus

Tuusqve nominabor
Amicus integrè,
Fuco male conabor
Carnis refiftere.
8. Me fæpe fraudulenter
Vexat Diabolus,
Ipfius indecenter
Succumbo retibus;
Jefus ab infidente
Sufcepit Ofculum,
Ut hofte moliente,
Vitem periculum.
9. Deofcularis ore
Utiqve Jefulum,
Dum carne, dum cruore
Te nutrít indigum;
Fucatâ præcaveto
Offerre Svavia,
Fidum cor exhibeto
In pœnitentia.
10. *Confluxit impiorum*
Caterva, & Optimus
Agnus Dei ferorum,
Ligatur ungvibus,
Contraxit innocentem
Gens atra vinculis,
Humana perferentem
Delicta criminis.

11. Innoxius luiſti
Hoſtile vinculum,
Meâqve pertuliſti
Culpâ periculum;
Meos iniqvitatis
Diſſolve compedes,
Et membra pravitatis
Torpore liberes.

12. Te Chriſte compegerunt
In dura vincula,
At hæc mihi fuerunt
Pax atqve gratia;
Dum temet obſtinati
Strinxere reſtibus
Liqvêre me fugati,
Mors & Diabolus.

13. Jeſu tuis Catenis,
Perverſitatibus
Reſtringar a terrenis,
Tibiqve Spiritus
Et mente promptiore
Servire geſtiat,
Dum proprio calore
Hæc oſſa permeat.

PSALMUS VII.

DE DEFENSIONE PETRI ET FACTA IN MALCO AURIS AMPUTATIONE.

1. *Iſacidum furorem,*
Cernunt Apoſtoli,
Suumqve conditorem,
Interrogant pii:
Strictis an enſibus
Hoſtes decet ferire
Et maſculè impedire
Hoc peſſimum ſcelus.

2. Negotiis tenetur
Siqvis perarduis,
Prudenter applicetur
Hortatibus bonis,
Nam ſolus exhibet
Perſæpe ſe recenti
Diſpendio nocenti,
Seròqve pœnitet.

3. Humana judicatur
Brevis ſcientia
Qvæ ſæpe fluctuatur
Ad difficillima;
Sotera conſule,
Nam qvo tibi abſtinendum
Et qvid ſit eligendum
Monſtrabit optimè.

4. Ex-

4. *Excanduit, furentes*
Petrus viriliter.
Ferro petit, ruentes
Cæsurus acriter,
Malchoqve noxius,
Ut aure privaretur
Qvi Præsulis tenetur
Fuisse Servulus.
5. *Apostolos monebat*
Salvator antea
Permitterent, volebat
Qvod turba perdita;
Respondet & Petro,
Qvi sumserit machæram,
Pœnam dat ense veram,
Ferrum recondito.
6. *Credis patrem negare,*
Si postulárimus,
Duodecim juvare
Memet phalangibus
Exercitus sui?
Aut nonne perbibendum
Est poculum tremendum
Qvod tradidit mihi?
7. *Sic veritas paratur*
Scriptis propheticis,
Cum fas sit, impleatur
Ut sermo numinis;

Auremqve Servulo
Qvam Petrus amputavit,
Potenter alligavit,
Tangente dactylo.
8. Hinc rite colligenda
Doctrina nobilis,
Ensisqve pervidenda
Censura duplicis:
Machæra pertinet
Ad judicem Tonantis;
Se vero vindicantis
Qvemcumqve dedecet.
9. Cavete, ne potentes
Per vestra munia
Lædatis innocentes
Nec vosmet; Ascia
Ut vindicis Dei
Præ se ferat timorem,
Fundat reum cruorem,
Mosen seqvamini.
10. Vagina contineto
Qvam jure possides
Rhomphæam, & abstincto
Ne tete vindices,
Vetante Jesulo;
Huic obediatur,
Ut proxime feratur
Inulta læsio.

11. Ne per manus ſceleſtas
Jus qvando præripe
Deo, cui poteſtas
Servatur ordine;
Nam Numinis ſecus
Acuta te ſecuris
Ulciſcitur futuris
Crebrisqve cladibus.
12. Hic truncus aure ſervus
Qvemcunqve denotat,
Qvi numinis protervus
Verbo cor obſerat,
Eſt aure dextera
Hebes, valet Siniſter
Auditus, ut magiſter
Sit in calumnia.
13. Qvin Malchus iſte Signum
Tulit neqviſſimis
Et ſe ſuisqve dignum
Sodalibus malis,
Qvi verba Jeſuli
Nullius æſtimâre;
Redemptor! hac vacare
Nota, dabis mihi.
14. Mox a redemptionis
Authore diſcito,
Qvi laniationis,
Actus periculo

Speravit in Patris
Clementiæ favore,
Qvod in Crucis dolore
Fac mens amabilis.
15. Jesus huic duello
Crateris indidit
Nomen, tuo flagello
Idemqve competit,
Nam passus horridè
Ad te parum reclinat,
Et qvod tibi propinat
Libenter ebibe.
16. Confide, te bibendo
Scit esse debilem
Modumqve partiendo
Servat per utilem,
Namqve acrimoniam
Sorbens acerbiorem
Dulcem tibi & minorem
Dat portiunculam.
17. Iræ meæ furorem
Redemptor expias,
Malchoqve mitiorem
Manum qvod afferas,
Exempla das mihi
Piæ remissionis;
Me restitutionis
Egere censui.

18. Succurre perbibenti
O Christe! poculum,
Crucemqve largienti
Me redde subditum,
Servator Optime!
Cor alleva gravati
Et incapacitati
Obsecro, connive.

PSALMUS VIII.

DE SERMONE CHRISTI AD JUDÆOS.

1. Jesus ad agmen hostium
(Dum comprehenderetur
Per falcitatis osculum)
Hæc verba confitetur.
2. *Latronis instar improbi
Me qværitis ligandum,
Huc usqve sacris affui
Ad ritè prædicandum.*
3. *Templo receptus omnibus
Discenda proferebam,
Manus rapaces ullius
Non ante sentiebam.*
4. *Vestro replenda tempore
Scriptura censeatur,
Caliginisqve tetricæ
Vis crassa pervagatur.*

5. Jesu

5. Jeſu vides clementiam
In hiſce collucere,
Peccantis illi nevtiqvam
Mortem ſcias placere.
6. Jeſus ſalutem, gratiam
Dat & redemptionem;
Hi vincla dira dant malam
In retributionem.
7. Mirum nec eſſe dixeris,
Si vir benignitatis
Malum refers ab impiis
Ad facta caritatis.
8. Gentis Judææ mobilis
Mores procul revolve,
Et largientibus bonis
Tu gratias reſolve.
9. Deinde, Jeſu! comperi
Turbam per irruentem
Manus neqvîſſe conjici
In te minus volentem.
10. Cum ſummus ante temporum
Metam pater crearet,
Qvâ fulmen iræ tetricum
Te Chriſte verberaret.
11. Sic & meis doloribus
Cæleſtis ordinavit
Initium pater Deus,
Eosqve terminavit.

12. Hoc

12. Hoc tempus (inqvit) hoſtium
Aſpirat actioni.
Cuiqve qvod fidelium
Sit inſtitutioni
13. Decurrit oportunitas
Jam gratiæ recentis,
Divina gaudet lenitas
Salute pœnitentis.
14. Qvi gratiæ diluculo
Abutitur ſecurus
Iræ Deus crepuſculo
Vindex ei futurus.
15. Qvo ſiderum diutius
Rex ipſe præſtolatur
Vindicta pertinacibus
Severior paratur.
16. Te, mens amata! per Deum
Obſecro, deſinamus
Patrare iniqva, plurimum
Peccata defleamus.
17. Vitæ fugacis hodiè
Mutemus inſtitutum,
Si forte tempus gratiæ
Sit nocte deminutum.
18. Caliginis potentiæ
Fit mentio: Potentes!
Mundi ſciatis gloriæ
Jam terminos præſentes.

19. Mi-

19. Micantis umbra luminis
  Nitore dimovetur,
 Tui nec umbra nominis
  Torvis patrocinetur.
20. Mortis tenebræ finient
  Potentiæ tenebras,
 Numqvid Potentes eminent
  Per tartari latebras.
21. Caligini Simillima
  Mortem timet poteſtas,
 Eamqve laudatiſſima
  In jus vocat majeſtas.
22. Mundi Deus potentiam
  Dum comparat, tenebris,
 Ne colloces Fiduciam
  In brachio celebris.
23. Jeſu! piis magnatibus
  Sis lumen illucendo,
 Ut fulgeant virtutibus
  Qvi nos tenent regendo.
24. Afflictionis tempore
  Me Chriſte liberâſti
 Cæleſtiumqve in ordine
  Deinde collocâſti.
25. Obnoxius potentiæ
  Noctis, mihi Gehennæ
 Demis tenebras. Accipe
  Laudum decus perenne.

PSAL-

PSALMUS IX.
DE FUGA DISCIPULORUM.

1. *Apoſtoli duriſſima*
   Ut principem videbant
   Sentire captum vincula
   Timore contremebant,
   Fugamqve adornant, Optimus
   Ab hoſte detinetur
   Et Submovetur,
   Expers ſuorum ut Jeſulus
   Opis periclitetur.
2. Qvis adminiſter, Numinis
   Favore ſi vacaret?
   Nam factus eſt inutilis
   Qvi plurimum juvaret.
   Qvicunqve ſe periculô
   Præſente vult amare
   Ac explicare,
   Amica gloriatio
   Fraudem ſolet parare.
3. Deinde Textus exprimit,
   Exceſſibus, piorum
   Qvam cauſa diſpar extitit
   Noſtris, Apoſtolorum,
   Permiſſione Jeſuli
   Mortis ferocitati
   Sunt denegati,
   Mentis coactæ conſcii
   Hinc inde divagati.

4. A me, Redemptor optime!
Perſæpe deſtitutus
Invitus es, cupidine
Sum carnis involutus;
Qvapropter usqve ad inferos
Me profugum vocares,
Et judicares
Ni per labores arduos
Reqviſitum beares.

5. Rapina ſolus hoſtium
Jeſus ſit, ut maneret
Me ſemper adjutorium
Si terror immineret;
Relictus eſt ab omnibus,
Ut particeps bonorum
Solatiorum
Abundè ſim, prementibus
Anguſtiis dolorum.

6. *Puer ſecutus Jeſulum*
Eſt mentione dignus;
Nudus fugit, nam linteum
Grex abſtulit malignus
Fugam, monemus, eligas
Qvam fratribus doloſis,
Vel & lucroſis
Commerciis adhæreas
Tibi periculoſis.

7. Ab-

7. *Abducit hinc Celerrimè*
Jesum cohors latronum
Et nocte versat horridè
In igne passionum.
Crudelis attrectatio!
Quod ille pertrahendum
Hic opprimendum
Accederent crepusculo
Agnum Dei colendum.

8. Damnatus ad caliginem
Mortis fui trahendus,
Redemptor execrabilem
Pœnam subit verendus,
Et lucis almæ semitam
Paravit exspiranti
Hinc emigranti;
Expecto lætus ultimam
Luctam Dei juvanti.

9. Te gens iniqva Jesule!
Protrusit impiorum,
Ut semper ulnis optimè
Portarer angelorum;
Nox attulit molestiam
Tibimet & dolores
Acutiores,
Ut lucis irem Semitam
Ad fulgidos honores.

10. Ad torſionem Jeſulo
Progreſſus imminentem
Vitæ mihi deductio
Sit in viam patentem;
Ne me ſceleſto tramite
Hoſtis trahat ſtupore
Socordiore,
Ipſum, Deus! recedere
Fac irrito furore.

PSALMUS X.

DE PRIMA CORAM CAIPHA EXAMINATIONE.

1. *In æde primo Jeſulum*
Agmen ſtitit neqviſſimum
Hannæ, qvod expetebat;
Conſtrictus inde vinculis
Abducitur, levaminis
Defeſſus indigebat.

2. *Cuiqve vinctum tradidit,*
Gener Caiphas excipit
Natum Dei potentem,
Qvem præſulem legalibus
Scriptura cenſet ritibus
Egiſſe præſidentem.

3. Qviete grata cælitum
Pulſi per omne ſeculum
Perire commeremur.

Hanc

Hanc inqvietem Jeſulus
Suſcepit ultrò, laudibus
Qvem rite proſeqvemur.

4. In corde diverſorium
Domoqve noſtra Jeſulum
Ut eligat rogamus.
Nobis vel ipſum propriæ
Crucis gravatum pondere
Adeſſe gaudeamus.

5. *Hic Cajaphas prædixerat,*
Conferre, ut unus oppetat
Gentis loco. Putamus
Id dignitatis ſpiritum
Promſiſſe; Veri neſcium
Cor ejus æſtimamus.

6. Sic Balaamus inditum
Prophetiæ donarium
Scienter exſerebat
Ejus repleta fraudibus
Mens veritatem protinus
Avara reſpuebat.

7. Da Chriſte! nunqvam Spiritus
Me derelinqvat Optimus,
Duc me viam ſalutis,
Ut lingva cordi concinens
Te percelebret, abſtinens
A fraudibus ſolutis.

 8. *Tum*

8. *Tum Pontifex, ut omnium*
Viros citârat ordinum
A Messia qværebat
De Dogmate atqve Apostolis;
Redemptor hæc amabilis
Responsa Proferebat.

9. *Sanctis locutus atriis*
Sum cuncta aperte, singulis
Patebit auditorum,
Qvid dixerim, repostulo
Ut talium collatio
Sit testimoniorum.

10. Attende mens! crepusculo
Talis sit inqvisitio
De Jesulo innocente:
Proinde qvaqve vespera
Qvid egeris, considera
Ex corde pœnitente.

11. Verbi minister! cogita
Qvid prædicâris? ultima
Qvod sit die qværendum;
Discentibusqve de tuis
Siqvos malignè negligis
Strictè sit exprimendum.

12. Jesus jubet præconium
Tube geras simillimum
Clangoribus sonôris,

Nam

Nam blanda murmuratio
Infenſa judici, Deo
Nil afferens honoris.

13. O Chriſte! negligentiam
Faſſus, rogabo gratiam
Des actibus Siniſtris;
Perfectio gratiſſima
Pro me ſatisdedit tua.
Adſis tuis miniſtris.

14. Nec diſciplina deficit,
Qvæ verba ſacra præcipit
Haurire diligenter;
Fidelis applicatio,
Immobilis confeſſio
Fructum dabit libenter.

15. *Antiſtitis, Sanctiſſimo,*
Servus, malignè Jeſulo
Genam ferit pugillo,
Reſpondet iſti comiter:
Ut ſit figura, jugiter
Qvam diſceres ab illo.

16. Repentè conſcientiæ
Lapſus rubebat verbere
Primus parens Adamus,
Idcirco Jeſum duriter
Cæſum, licet ſit integer
Fuiſſe, comprobamus.

17. Te Christe! laudo carmine,
Tuamqve, conscientiæ
Ut assequar levamen
Ejusqve pace gaudeam,
Supplex adoro gratiam,
O Liberator! Amen.

PSALMUS XI.

DE ABNEGATIONE PETRI.

1. *Cohors Apostolorum*
Repente principem
Reliqvit, ut suorum
Adesse neminem
Sentiret, at celebris
Alumnus illius
Et Petrus in tenebris
Sectantur eminus.

2. *Antistiti Superbo*
Notus comes Dei
Intrat, dolore acerbo
Acti memor Petri
Ancillulam precatur
Qvæ servat ostium,
Ut qvi foris vagatur,
Immittat hæc virum.

3. Viam

3. Viam crucis libenter
Incedo, Jesule!
Tardo mihi clementer
Obsecro, connive;
Fiduciæ lacertus
Si deficit, tuam
Arundinis misertus
Extende dexteram.
4. *Incenderant Calones*
Carbonibus rogum,
Qvos frigus ad latrones
Coegit & Petrum;
Ancilla fraude pleni
Cordis reqvisivit;
An iste Nazareni
Jesu comes fuit?
5. *Raptus negat pavore*
Se nôsse Jesulum;
Gallus suum canorè
Mox edidit sonum;
Exire cogitanti
Occurrit altera
Ancilla formidanti
Profertqve noxia.
6. *E Nazareth ruentis*
Te credo servulum
Doctoris; Inqvirentis
Versatur omnium

In ore vox: Sodalis
Erasne Jesuli?
Respondet ille, talis
Ignotus est mihi.
7. *Episcopi scelestus*
Grex servientium,
Ex ore manifestus
Es, inqvit. Ultimum
Cognatus amputati
Obmurmurat Petro:
Jesu comes ligati
Fuisti in hortulo.
8. *Audebat abnegare*
Omnino Jesulum,
Istumqve, pejerare
Qvod nesciat virum.
Ut hæcce proferebat,
Gallum vicè altera
Jam Petrus audiebat
Sonare tristia.
9. Hinc cernimus timendum
Carnis potentiæ,
Deiqve consulendum
Verbum efficaciæ;
Qvi stare se fatetur,
Vitet Superbiam,
Neqvid periclitetur,
Cadatqve perperam.

10. Petrus fuit pavoris
Expers in hortulo,
Viriqve fortioris,
Clarebat actio.
Sed vilis hunc vigorem
Ancilla perdidit,
Veriqve mox amorem
E corde dispulit.
11. Pruriginem juvabit.
Æqvare flammulis,
Qvam mundus excitabit
Fautoribus suis,
Ad hanc & impiorum
Fex atra confluit,
Qvæ clade sincerorum
Gavisa decipit.
12. His mundus impudicis
Ancilla rictibus
Multis nocere tricis
Solet latentibus,
Altissimi ministris
Infesta litigat.[1]
Conatibus sinistris
Me Christus eximat.
13. *Post abnegationem
Exire primulam
Tentat, solutionem
Sperans facillimam,*

Tum

Tum Petrus incidebat
Majus periculum,
Dirisqve devovebat
Se, *pejerans* malum.
14. Se qvisqvis implicare
Poteſt periculis,
Si cæperit vacare
Rebus perarduis
In fauſta te ſecurum
Si techna corripit,
Solvi vel in futurum
Nec ulla ſpes erit.
15. Os indolem notabit
Cujusqve maximè,
Nam ſemet indicabit
Auctor calumniæ.
Ex corde dat benigno
Bonus ſalubria;
Malus ſolet malignô
Proferre noxia.
16. Hic ſanctus incidebat
Vir crimen horridum,
Salutis ingruebat
Ipſi periculum,
Nec debilis valebo
Technis reſiſtere,
Qvas impios videbo
Ubiqve tendere.

17. Inter

17. Inter greges malorum
O Chriſte! fluctuor,
Infirmus hanc dolorum
Originem qveror,
Cum propriis labatur
Natura viribus,
Cæleſtis invocatur
Lux atqve Spiritus.

PSALMUS XII.

DE POENITENTIA PETRI.

1. *Dum Petrus aſtitit*
Gregi impiorum,
Gullus bis edidit
Cantum Sonorum.
2. *Ter ille Jeſulum*
Tunc abnegârat
Per Crimen improbum
Et pejerarat.
3. *Converſus erigit*
Jeſus Ocellum,
Petrumqve reſpicit
Gratè miſellum.
4. *Hortenſis illicò*
Cordi Simonis
Impreſſa mentio
Prædictionis.

5. *Hinc*

5. *Hinc pœnitentiæ*
Cœpit vacare,
Exitqve limine
Plorans amare
6. Amabo! Congruè
Nobis videndum,
Ex his qvid utile
Sit hauriendum.
7. Hic Gallus excitat
Mentem canendo,
Qvæ ſemet inqvinat
Factô pudendô.
8. Nam conſcientia
Reum peregit,
Et cordis intima
Perſæpe fregit.
9. Nec vincit impotis
Mentis tremorem
Capti volatilis
Geſtans pavorem.
10. Mutare ſi cupit
Artes protervas,
Vires ſibi advertit
Ineſſe ſervas.
11. Nam ſemet erigens
Lapſu a priori,
Involvitur recens
Damnoſiori.

12. Vox

12. Vox legis exprimit
Gallum canentem
Errantis arguit
Ubiqve mentem.
13. Hæc urget, atterit,
Minatur, angit,
Peccantis affligit
Cor atqve frangit.
14. Hæc auget, incutit
Reo dolorem,
Pœnam nec excipit
Crudeliorem.
15. Hinc pertinaciâ
Caro laborat,
Et fraude Subdolâ
Scelus colorat.
16. Spiramen Optimum
Cordi medetur,
Jefu per afpectum
Qvod hic notetur.
17. Hic lege cordibus
Fractis tonantî
Nos arte fpiritus
Sanat levanti.
18. Sermone melleo
Solet Potentis
Implere gaudiô
Pectus dolentis.

19. Accendit is fidem,
Levat gravatum,
Firmatqve debilem
Solvit ligatum.
20. Ne crede liberam
Tibi futuram
Et pœnitentiam
Fidemqve puram.
21. Nam tete Criminis
Qvod prævalebit,
Ope absqve Numinis
Non pœnitebit.
22. Delirat, ad ſcelus
Qvi commoratur,
Et ſponte cladibus
Solvi arbitratur.
23. Apparet os Dei
Favore plenum;
Obverte mox ei
Vultum Serenum.
24. Delicta perdole,
Deoqve crede,
Præcepta dilige,
Pravô recede.
25. Fruſtra putaveris
Te pœnitere,
Si pronus in malis
Cupis jacere.

26. Er-

26. Errore cognitô,
Petrus ſceleſtô
Exivit atrio,
Secundus eſto!
27. Oſtende, Jeſule!
Vultum beatum,
Et corde reſpice
Me ſauciatum
28. Errare maximè
Mihi timendum,
Tu mitis aſpice
Me corrigendum.
29. Te Sæpe conſpicit
Plorans ocellus,
Solamen expetit
Dei miſellus.

PSALMUS XIII.

DE CAIPHÆ SENTENTIA.

1. *Antiſtites Sacrorum*
Cum teſtimoniô
Uti leviſſimorum
Cæpere perfido,
Commenta Diſſonabant
Jeſus, qvod eructabant
Sprevit Silentio.

2. Mendaciis coactus
Attende regulam
Furore ne peractus
Rixare perperam.
Iram levas tacendo,
Turbare garriendo
Causam potes tuam.
3. Injustâ ab actione
Prudenter abstine,
Causæqve dictione
Vacabis improbæ;
Os namqve mentientis
Animam bonô carentis
Occidit horridè.
4. Si me reum veraci
Qvis ore diceret
Coram Deo; tenaci
Metu cor abstinet;
Obnoxius malorum
Mendacio virorum
Me Christus eximet.
5. *Mox Cajaphas vocavit*
Examen ad suum,
Et Jesulum obsecravit
Per Numen Optimum,
Si natus es beati
Christusqve, veritati
Fatere congruum.

6. *Re-*

6. *Respondit asserendo*
Utrumqve Jesulus,
Virtutis assidendo
Dextræ ipse filius
Humanus apparebit,
Et ultimò valebit
Venire nubibus.
7. *Blasphemiæ incusavit*
Sciditqve pallium
Suffragium rogavit
Princeps sacerdotum
A cæteris ferendum
Qvi singuli opprimendum
Damnâre Jesulum.
8. Mendacium silendo
Jesus reliqverat,
Nomen Dei verendo
Mox ultrò prædicat;
Figmenta respuamus
Mundi, Dei feramus
Qvod gloriam notat.
9. Responsa veritatis
Prudenter edito,
Nec per minas, prolatis
Dictis recedito;
Verbum Dei sincerè
Fidemqve confitere
In luce & angulo.

10. Iniqva, proh! videtur
Hic juris actio,
Magnatibus favetur
A judice impio;
Qvi sponte mancipatur,
Pravo patrocinatur,
Qvod absit omninò.

11. Cum Jesulo solamen
Commune percepi,
Qvod anxio levamen
Afferre censui;
Nam deniqve obtinebit
Et gaudio replebit
Me dextra Jesuli.

12. Te Christe judicavit
Princeps Sacerdotum
Et mentiens notavit
Blasphemiæ reum.
Convictus ajo verè
Ad memet attinere
Hæc verba noxium.

13. Te censet enecandum
Votum synedrii,
Ut morte liberandum
Per gratiam Dei
Me semper obligares,
Laudemqve comparares
Ex ore Servuli.

PSAL-

PSALMUS XIV.

ED SERVORUM IN CHRISTUM CONVICIIS.

1. *Poſtqvam Sacerdotes bonum*
Damnâre primò Jeſulum
Nocturna per Silentia
Somno dedere corpora

2. *Salutis author Optimus*
Curæ impiorum traditus
A Servulis immania
Fert interim ludibria.

3. *Cavilla, Sanna, opprobrium*
Certatim ab illis editum
Ictus feroces imprimunt
Vinctiqve in ora conſpuunt.

4. Afflictionem conſpice
Agni innocentis, vir pie!
Ejus metendis fructibus
Accede, qvæſo! Sedulus.

5. Noctis qvietem amabilis
Qvi præparavit Singulis,
Ipſi ſoporis indigo
Negatur irrigatio.

6. Donum tuæ clementiæ
Nox eſt qvieta, Jeſule!
Te pœna vexat in meum
Felicitatis gaudium.

 7. Me,

7. Me, cum doloris, ultimi
Vel nox agenda ſit mihi
Certaminis, memor tuæ,
Noctis, benigne reſpice.
8. Draconis ora comprimens
Planctumqve cordis leniens,
Extolle, ſola, me, ſalus!
Mortis cruentæ faucibus.
9. Tenebriones improbos
In Jeſulum immitiſſimos
Adhuc ſuis Sodalibus
Gaudere in orbe cernimus.
10. In verba ſummi Numinis
Qvi ſæviunt ludibriis
Nec non miniſtros illius
Sveti nefandis actibus.
11. De veritate & gratia
Perſvaſus, in venefica
Qvi pergit arte, ferreis
Pejor Caiphæ Servulis.
12. Noviſſe filium Dei
Negantur iſti homunculi;
Pejus facit, qvi cognitum
Blasphemat ultrò Jeſulum.
13. Qvi facta pervicaciæ
Sub æqvitatis nomine
Celant, in ora Jeſuli.
Cædentibus ſimillimi.

14. As-

14. Affveta mens ludibriis
Hujus pediſſeqva agminis;
Qvicunqve ridet indigum,
Spernit Creatorem ſuum.
15. O vir miſer! Conſidera
Futura vitæ tempora,
Qvibus metenda ſenties,
Qvæ ſeminâras indies.
16. In orbe contumeliam
Si ſpargis & blasphemiam,
Metes perenne jurgium
Ac tartari ludibrium.
17. Qvis autumaret, ultimum
Qvod vitet infortunium,
Spectante patre, filio
Obganniens ludibriô?
18. Qvæ nocte Jeſus improbis
Hic paſſus eſt à Servulis,
A dæmonum freqventiâ
Fert impius per ſecula.
19. Ne rideas incognitum
Ignobilemqve creditum,
Offenderis vel inſcius
Spe digniorem protinus.
20. Jam corde memet arguo,
Ejusmodi me polluo
Multis iniqvitatibus,
Qvod confitebor anxius.

21. Semente factâ criminis
Vitæ diebus singulis,
Perterret iminens meum
Messis tremenda spiritum.

22. Ærumna, Jesu! me tua
Solatur immanissima,
Integritatem conferis,
Causam beatitudinis.

23. Tui Cruoris guttulæ
Sementis alma gratiæ;
Concessit hanc mihi Deus,
Ut inde cresceret salus.

24. Derisus es decus meum,
Cæsus parâsti pharmacum,
Nec puniendus incidam
In Dæmonis potentiam.

25. Tui proinde nominis
Cultor rigabo lacrymis
Genas, premens cupidines,
Me Christe Semper adjuves.

PSALMUS XV.

SACERDOTUM DE CHRISTO CONSILIUM.

1. *Urget Palæstinorum*
Aurora principes,
Confluxerant eorum
Primi Sacerdotes;

Qvivis

Qvivis ut exhiberet
Ex ore Symbolum,
Qvô tutius liceret
Mactare Jesulum.
2. *Hic cætus acciebat*
Jesum citissime,
Nec causa Suppetebat,
Omnes reqvirere
Pergunt, an ille natus
Sit principis poli
Et Christus? ipse fatus
Est ore nobili.
3. *Tali locutioni*
Torvi resistitis,
Meæqve qvæstioni
Haud verba redditis:
Videbitis sedentem
Ad dexteram Dei,
Et nubibus potentem
Venire me poli.
4. *Instant, Dei putandus*
Sit anne filius?
Affirmat is. Necandus
Censetur Omnibus,
Surgunt; eum Catenis
Ligare gestiunt,
Iræ ebrii venenis
Ad judicem trahunt.

5. Apparet impiorum
   Hinc diligentia,
Moles negotiorum
   Et cura provida;
Diliculo hos machinis
   Adeſſe cernimus,
Ut fraudibus lupinis
   Certent alacrius.

6. Altiſſimo miniſter
   Electe Numini!
Qvæ præcipit Magiſter,
   Curanda ſunt tibi,
Negotium & ſalutis;
   Torpes inertiâ
Curisqve diſſolutis
   Per multa tempora.

7. Sunt, mane qvos juvabit
   Lecto reſurgere,
Augendaqve excitabit
   Moles pecuniæ;
Mens dormiens videtur
   Exſtincta pectore,
Virtutibusqve habetur
   Inepta maximè.

8. Qvi vineam potentis
   Curabitis Dei,
Diluculi recentis
   Servite tempori,

Sur-

Surgetis ad petendum
Et ſacra munia
Decenter exſeqvendum
In diligentia.
9. Regi, excubant, polorum
Infeſta pectora;
Qvi fidus es, malorum
Conamen obſerva,
Utcunqve, fraudulentis
Si vis reſiſtere,
Qvovis Dei Parentis
Os manè conſule.
10. Ne Crede negligendum
Qvod nuper audîmus,
Hic prætulit qverendum
Salvator optimus,
Qvod vera prædicanti
Gens prava diffidat,
Nec rite ſciſcitanti
Reſponſa deferat.
11. Qvis Credit, ut minetur
Peccantibus Deus?
Pauciſſimis movetur
Os confitentibus.
Correptus, in delicta
Pejora corruit
Mundus, proinde ſtricta
Nec pœna diffugit.

12. Infirmus ad credendum
Sum teſte Jeſulo,
Seroqve, qvod dolendum
Peccata defleo,
Verbo tamen ſalubri
Nixus facillimè
Ipſi dabo lugubri
Reſponſa Sermone.
13. Deinde, Si graveris
Injuria mundi,
Nec profit, excuſeris,
En regulam tibi;
Speres opem ferendam
A Rege Cælitum,
Mentemqve ad erigendam
Attende Jeſulum.
14. Juris mihi videtur
Severa dictio,
Qvæ manè proferetur
Ab orbis arbitro;
Prætextus haud juvabit,
Argutiæ, lepos;
Tum pœna diſſecabit
Acerba noxios.
15. Videmus emicare
Ex ore Jeſuli
Jam gratiam; precare
Ut luceat tibi.

Indulget hic ſecuro
Qvi pœnitentiam,
In ſeculo futuro
Plectet ferociam.
16. Te manè condemnarunt
Jeſu! Palæſtini,
Reumqve ſomniârunt
Afferre Præſidi.
Me manè liberabis
Lucis noviſſimæ
Nec morte caſtigabis,
Necis memor tuæ.
17. Te, nulla, negligenti,
Aurora, Jeſule!
Eluceat, Clementi
Me corde reſpice,
Tutor mihi futurus
Diluculô Ultimô,
Tum laudibus ſecurus
Te ſemper effero.

PSALMUS XVI.

DE POENITENTIA JUDÆ.

1. *Fraudem parans lethalem*
Judas, Palæſtinis
Jeſus dedit venalem
Triginta nummulis,

Tan-

Tandemqve dum videt
Arctissime ligari
Et morte condemnari,
Repente pœnitet.
2. *Ædemqve sanctitatis*
Intrare festinat,
Ut reddere infulatis
Denarios queat,
Ajens lugubriter:
Se sangvinem innocentem
Vaferrimè prodentem
Peccasse atrociter.
3. *Solatii vocabant*
Summi Sacerdotum,
Curare se negabant
Ejus piaculum
Qvo cedat auspice;
Denarios prostravit
Et reste strangulavit
Se qvam Citissimè.
4. *Antistites sacrorum,*
Deinde conferunt,
Valore nummulorum
Prudenter acqvirunt
Fictoris Argillæ
Agrum advenis humandis
Verbisqve consummandis
Sacræ prophetiæ.

5. En

5. En Infidelitatis
Et fraudis exitum!
Judæ Sodalitatis
Commune præmium
Pendetur ultimò;
Tortos habet rudentes
In falſa molientes
Vaferrimus Draco.
6. Fallaciam ſævire
In principem ſuum
Percepimus, venire
Diſcrimen ultimum
Dolos parantibus;
Judas Achitopheli
Succeſſit infideli
Fatô ſimillimus.
7. Auri fames ſacrata
Judæ gulam fregit,
Fide qvod abnegatâ
Jeſum venundedit,
Tandemqve perdolens
Nummos abominatur
A morte vulneratur
Solatio carens.
8. Origo delictorum
Sitis pecuniæ
Credenda ſingulorum,
Nam mentis improbæ
Coactor

Coactor anxius
Æs congerit sceleſtum
Sibi nimis funeſtum,
Salutis oblitus.
9. Aut æris extimendum
Diſpendium tibi,
Aut forte reſpuendum
In morte flebilî,
Nam devoratio
Pecuniæ guloſa
Fit inde nauceoſa
In Carcere infero.
10. Ardore poſſidendi
Et fraude ſubdola
Mens abſtine, oppetendi
Tranqvilla veſpera
Qvô ſuppetat tibi,
Dextræqve largientis
Contenta nutrimentis
Contemne opes ſoli.
11. Dum ſæpe proditorem
Redemptor anteà
Moneret, in furorem
Præceps ſalubria
Deriſit; Ultimò
Qvi ſana reſpuebat
Solatio carebat.
Vitanda cernito!

12. Fæ-

12. Fædiſſimè priores
Tranſegerat dies,
Nectens tenaciores
Sibi ipſe compedes
Deſperat; Optimi,
Qvi cordibus medetur,
Peccâſſe mî videtur
In ſpiritum Dei.
13. Vives Deo decenter
Si vis Deo mori,
Summoqve obedienter
Confide Numini
Felicior Judâ;
At crimine involutum
Mox eſto delibutum
Cor pœnitentiâ.
14. Peccata confitendo
Precare gratiam,
Impenſius dolendo
Spem perde neutiqvam,
Sit nixa Jeſulo,
Qvi morte te redemit
Culpam tibiqve ademit
Innoxius reo.
15. Faxit Deus tegendis
Pauliſper actibus
Ne gaudeam pudendis,
Sed morte pallidus

Solatium feram
Per verba veritatis
Flamenqve fanctitatis,
Ut falvus exeam.

PSALMUS XVII.

DE AGRO FIGULI.

1. *Triginta nummulos*
Judæ fuperfluos
Antiftites tulerunt
Et fponte vendiderunt.
2. *Fictoris aftiti*
Emere agrum luti,
Ut advenis humandis
Effet locus curandis.
2. Hinc comparatio
Redundat illicò,
Qvam, Numen ut jubebat,
Zacharias canebat.
4. Formator optimus
Luti fuit Deus
Efaiâ notante,
Decenter explicante.
5. Finxit genus lutô
Mortale, vafculo
Puro dedit nitorem,
Sqvallentibus minorem.

6. Ve-

6. Venalis optimo
Agellus eſt Deo,
Qvi lenitas vocatur,
Mæſtosqve conſolatur.
7. Sciamus hunc agrum
Emiſſe Jeſulum,
Et præmium valoris
Guttas ſui Cruoris.
8. Gentem peregrinam
Qvietis indigam
Nos dixeris gravatos
Et labe deformatos.
9. Proſcriptus a Deo
Exît Paradiſo
Lapſus parens Adamus,
Qvapropter exulamus.
10. Exul miſerrimus
In orbe ſpiritus
Ergaſtulo fovetur
In carne dum tenetur.
11. Hunc extrahit ſuis
Tandem mapaliis
Mors; Corpus efferendum
Putredini terendum.
12. Spreti cadaveris
Imago flebilis
Expers opis putata,
Qviete, mens, negatâ.

13. Refpexit hoc meum
Jefum periculum
Nos prætulit beari
Et rurfus evocari.
14. Vovit Pater fuum
Animabus atrium,
Si præmium pararet
Natusqve fe placaret.
15. Aperta mox mei
Crumena Jefuli,
Coronadum; flagellum
Et crux premit mifellum.
16. Afpergo nobilis
Sanctæ cicatricis
Nobis agrum paravit
Mortemqve profperavit.
17. Cum corpus in finum
Terræ, redit, meum,
Animam fovet Clementis
Manus Dei Parentis.
18. Notetur inclytæ
Decus Sepulturæ
Solas manere gentes
Hjerufalem petentes.
19. Cætum fidelium
Sionis atrium
Intrare qvi conetur,
Clementiâ fruetur.

20. Huc intrat Optimo
Spes nixa Jesulo,
Cor pœnitens, renatum,
Unda sacra lavatum.
21. Timere desino
Confisus in Deo
Vitam meam recenti
Clementia foventi.
22. Nec angor extincti
Cadaveris mei
Curâ; Deo feretur
Qvi Spiritum tuetur.
23. Te laudo maximè
Redemptor Optime!
Qvies mihi misello
In gratiæ est agello.
24. Agrum dabas mihi,
Agrum dabo tibi;
Pro corde diligentis
Cor posside Clientis.
25. Fructumqve do mei
Laboris integri
Ecclesiæ, durantis,
Per arva militantis
26. Sic opto Jesule!
Agrô domus tuæ
Locus mihi paretur,
Qvò corpus efferetur.

27. Agnofce tritici
Granum Deus tui
Memet refufcitandum,
Ad Cælites vocandum.

PSALMUS XVIII.

DE ACCUSATIONE JUDÆORUM CORAM PILATO.

1. *Vinctam trahebant impii*
Ad judicem nefandum
Et manè filium Dei
Stitere judicandum,
Ab ethnico
Prætorio
Dum qvisqvis abstineret,
Ut integra
Inter Sacra
Se puritas maneret

2. Ædes putarunt Ethnici
Intrare Criminofum,
At innocentis imbui
Cruore Virtuofum;
Sic dedecus
Potentibus
Mundi, pios juvare,
Perjurium
Scelus malum
Qvis audeat vocare?

3. *Pilatus arrogantiam*
Nullius æstimavit,
Egressus æde Congruam.
Causamqve postulavit
Ab omnibus
Actoribus,
Ubi ante nesciebat:
Mendacia
Et turgida
Responsa Sentiebat.

4. Nil erubesce, si cupis
Vir justus appellari,
Qvæ laude digna percipis
In Præside, æmulari;
Injuriam
Ejus malam
Te crede dedecere
Duplô magis,
Aut ethnicis
Tam moribus scatere.

5. Nullius eminentiâ
Aut byssinis loqvelis
Sit veritati dissona
Allecta mens fidelis.
Sic ambitus
Primatibus

Sedibit indecenter,
Tumentibus
Judex pius
Refpondeat fcienter.
6. *Ifacidarum principes*
Tum Jefulo loqvuntur
Caufas ineffe triplices;
Gentemqve Conqveruntur
Seducere
Concedere
Nec Cæfari tributum,
Chrifti novo
Et regio
Honore proftitutum.
7. Ex corde fæpius meo
Qvod lingva prædicavit;
Te tripla criminatio
Redemptor irritavit,
Nam triplicis
Me criminis
Coargui decebat;
Triplex tibi
Mendacii
Convicium nocebat.
8. Averfa fummo Numine
Mea Indoles finiftra
Errore contumaciæ
Fit pluribus magiftra.

At

At Jeſulus
Gentem pius
Ut conſtat, a furenti
Diabolo,
Morte & malo
Convertit imminenti.

9. Tributa obedientiæ
Laudisqve detinendo;
Regi ferenda gloriæ
Rebellione pendo;
Jeſu! manens
Obediens
Tributa reddidiſti,
Et Cæſari
Suum dari
Deoqve præcepiſti

10. Praviſſimô ferocii
Superbiæ tumore,
Mandata principis mei
Parvô tenens honore;
Te regium
Faſtigium
Vitâſſe mundanorum
Percepimus;
Regnas Deus
Per ſecla ſeculorum.

11. Injuſta criminatio
Juſtiſſimum ſubegit,
Qvi me nocentem cum Deo
In gratiam redegit,
Injuria
Diriſſima
Qvam ſenſit expiandô,
Mihi reo
Defenſio
Sit certa judicando!

PSALMUS XIX.

DE CONFESSIONE CHRISTI CORAM PILATO.

1. Judæ propago innoxium
Infeſta valdè Jeſulum
Reum peregerat,
Præfectus id conſiderat
Cauſasqve rite examinat,
2. Primam colendi Numinis
Cenſus ſecundam Cæſaris
Nullius æſtimat,
Et præterire judicat
Qvod falſitatis arguat.
3. At Regis uncti nomine
Commotus ipſe deniqve
In mente contulit
De Meſſiâ qvod audiit,
Impletionem conjicit.

4. Cul-

4. Cultum Dei ſpernentibus
Mentem Pilati cernimus
Ineſſe Principis
Blandi malis Sententiis,
Nulli patroni Subditis.
5. *Rogatus ore Præſidis*
Num Rex ſit Abræ poſteris
Dat verba Jeſulus:
Prolationis iſtius
Author mihi ſit proditus.
6. *Sævus Pilatus denuò*
Interrogat de Jeſulo,
Qvid egerit mali?
Ut traderent eum ſui
Examinandum judici.
7. *Ad hujus orbis ordinem*
Se diffitetur principem
Redemptor, & ſuos
Ad ſe tuendum ſubditos
Secus fuiſſe ſtrenuos.
8. *Jubet Pilatus exprimi*
Honoris an ſit regii?
Qvem Jeſulus ſuum
Affirmat, atqve nuncium
Se veritatis editum.
9. *Qvi Veritatem Candidam*
Amplectitur, vocem meam
Libenter excipit.

Qvid veritas est? Addidit,
Dein Pilatus exiit.

10. Primo per ista sentimus
Qvod Rex sit ipse Jesulus
Non orbis ad modum;
Qvod dogma rite creditum
Cordi parabit gaudium.

11. Æterne Rex, o Jesule!
Tuo Corona munere
Provinciæ, decus
Ac dignitas Regentibus
Hic conferuntur omnibus.

12. Nec non juvante te suos
Reges tuentur subditos
Et regna dirigunt,
Si Dæmon & mors impetunt,
Mundi potentes corruunt.

13. Peccata, mors, Diabolus
Succumbit atqve tartarus
Tuæ potentiæ,
Te liberator optime
Laudamus omni tempore.

14. Tum gratiæ tum gloriæ
Sceptrum geris facillimè,
Qvæ sancta viritas
Irruptiones concitas
Ab hoste reddit irritas.'

15. Regnum ſed illud gratiæ
Mundo placet contemnere,
Namqve arrogantiam.
Tecum nec invenit ſuam,
Nec expetit clementiam.
16. Hinc orbis ad calumnias
Non obſtupeſco plurimas
Sed eſſe me ſciam
Mundo peregrinum, meam
Cælis habere patriam.
17. Sermonis hujus principis
Ineſſe debet ſubditis
Sincera charitas,
Offendit illum falſitas;
Mentes adoptat candidas.
18. Audire, dulce corculum!
Si principem cupis tuum,
Attende nunciis,
Qvæ proferuntur a piis
Ejus per orbem ſervulis.
19. Expende vocem jugiter
Qva ſummus orbis arbiter
Qværet, qvid egeris?
Inanis eſt hypocryſis,
Sis moribus fide integris.
20. Culpæ tibi mens conſcia
Qvid ipſa feceris? roga
Qvovis crepuſculo;

Fac

Fac pœnitentiam citò,
Committe causam Jesulo.

21. Me sæpe gessi perperam,
Perfectionem sed tuam
Prætendo, Jesule!
Totum tibi me vivere
Fac, universo tempore.

PSALMUS XX.

DE ACCUSATIONE JUDÆORUM CORAM PILATO.

1. Pilatus ut cognoverat
Causam malignitatis,
Parum timoris æstimat
In rege veritatis,
Ridenda namqve ei
Est veritas Dei;
Oraĉla Numinis
Utiqve dixeris
Summæ necessitatis.

2. *Præfectus accusantium*
Tetendit ad catervas,
Inesse Jesu criminum
Causas negat protervas.
Instant vaferrimis.
Illi Calumniis.
Ut agnus innocens.
Salvator! Obticens
En! Verba qvo reservas.

3. *Fal-*

3. *Falsum docebat, inqviunt*
Turbasqve concitavit,
Huc usqve vectus (asserunt)
E Nazareth meavit.
Pilatus audiit
Herodis exstitit
Qvod ipse subdito
E territorio,
Eiqve mancipavit.

4. Ærumna nostro Crimine
Ad Jesulum redundat,
Ipsius innocentiæ
Mens gaudiôqve abundat;
Ego fui reus,
Is integerrimus,
Idcircò gratiam
Et sanctimoniam
Jesus mihi venundat.

5. Damnationem lex mihi
Siqvando comminatur,
Responsione Jesuli
Reatus abnegatur
Namqve innocentiam
Agnoscit hic suam,
Ut Criminatio
Illata servulo
Injusta censeatur.

6. Lo-

6. Loqvacitatis impio
Ne crimine implicatus
Cadam, Dei filentiô
Sum ritè liberatus.
Exinde debui
Te Chrifte confeqvi,
Salutis optimô
Nixus caduceô
Cruciqve fubjugatus.

7. Pilatus, ecce! fubdolis
Vult artibus præire
Regemqve difficillimis
Conatur irretire.
Mundana fraudibus.
Scatere cernimus,
Juvante Numine
Aftutiam ftude
Utcunqve præterire.

8. Salvator alme! dum tibi
Crux atra fert dolores,
Æterna dat qvies mihi
Dulciffimos honores;
Qvapropter arduos
Pro munere inditos
In Nominis tui
Laudem ter optimi
Gratus feram labores.

PSAL·

PSALMUS XXI.

DE CURIOSITATE HERODIS & ALBO VESTIMENTO.

1. *Fallax Herodes Jesulô*
Lætatur apparente,
Vultu qvod ejus splendidô
Famaqve diffluente
Commotus esset, plurimum
Nasutus inqvirebat
Et expetebat;
Qvorum Redemptor omnium
Pertæsus, Obticebat.

2. Herodis artes impias
Videmus æmulantes,
Verbum Dei facetias
Jocumqve somniantes;
Arcana, curiositas,
Divina perscrutatur
Et gloriatur;
Elata qvæ Sagacitas
Obtusa suffocatur.

3. Argutiis scientiæ
Multi volunt scatere,
Qvi non verentur impiè
Verbum Dei ridere,

A talium fatalibus
Eſt cladibus cavendum,
Et diligendum
Qvod ſeriò dat omnibus
Verbum, Deus, colendum.
4. Jehovah perditiſſimis
Nec per jocum minatur,
Remiſſionem Criminis
Nec pollicens nugatur;
Debemus hæc humillimo
Sermone comperire,
Et erudire
Plures; Nec unqvam Jeſulo
Ludibriô obgannire.
5. Qvando, Redemptor! in tuo
Sermone prædicaris,
E corde pellitur meo
Ærumna ſingularis,
Te Cœna dulcis exhibet
Imagine in præſente
Ac enitente,
Aſpectus ille qvam replet
Me gaudiô recente!
6. Herodis arſit impia
Cupido te videndi;
Sed cor meum fiduciâ
Suſpirat obtinendi.

O lux beata! gloriam
Quæ Principis colendam,
Offert videndam,
Cujus mihi lætiſſimam
Concede ſpem fovendam.

7. Porrò docet ſilentiô
Redemptor hic, tenellis.
Sermone nolle ſe ſuo
Sanctum dari catellis.
Spernit Deus ſuperbiam
Audaciter frementem
Et molientem,
Subvertit arrogantiam,
Faſtu juvat carentem.

8. Sotera noſtrum cum ſuis
Rex ethnicus deriſit,
Cum veſte candida & novis
Ludibriis remiſit
Ad præſidem ſæviſſimum.
Sic contigit prioris
Minacioris
Ceſſatio Potentium
Diſcordiæ livoris.

9. Dum veſtis alba Jeſulo
Ludibrium paravit,
Me ſanctitatis fulgidô
Velamine illuſtravit.

Hanc novit innocentiæ
Notam Pater benignus
Et laude dignus;
Is me poteſt cognoſcere,
Mundus neqvit malignus.

10. Cælis beati Spiritus
Qvi gloria fruuntur,
Pro laude Jeſu veſtibus
Pellucidis teguntur.
Summi perinde culminis
Satellitesqve verè
Apparuere
Stolis amicti candidis,
Cum cælitus venere.

11. Integritatis palliô
Cinctus nitentiore
Meo miniſter Jeſulo
Spe ſim, fide ac amore;
Ejusqve ſanctimoniæ
In veſte transeundum
Mortis profundum
Mihi ſit; atqve corpore
Me conſtet eſſe mundum.

12. Ceſſavit indignatio
Hic principum duorum
Intercidente Jeſulo;
Sed non minus bonorum

Et

Et pacis autor eſt mihi
Iram Patris levandô,
Ac terminandô,
Gratum indiesqve Numini
Me reddit expiandô.

13. Præceps ubi qvid indoles
Diſcordiæ minatur
Inter fide cognomines
Nec legi obediatur,
Ipſos tuo ſpiramine
Jeſu veni placare
Et viſitare;
In Charitatis ordine
Eccleſiam metare.

PSALMUS XXII.

DE CLAMORE JUDÆORUM DE CHRISTO CRUCIFIGENDO.

1. *Præſes reverſô Jeſulô*
Gentem citavit illicô
Ejus, proinde ac par erat,
Integritatem prædicat,
Sibiqve teſtimonium
Herodis eſſe Conſonum.

2. Verè Creator eſt piæ
Patronus innocentiæ,
In cujus adjutorium
Cor osqve ſervit omnium,

Nam Caufa jufta candido
Nunqvam Caret præconiô.

3. *Gens orta Judæ fangvine*
Reum folebat pofcere,
Ut liber effet inclyta
Per Pafcatis Solennia;
Injuffa prifcæ de Pharo
Eductionis mentio.

4. Ne moris efto pertinax,
Qvô fæpe mens fit pervicax,
Superqve confvetudine
Verbum Jehovæ confule.
Intenfione falleris,
Dictis obedi Numinis.

5. *Pilatus inqvit, ad duo*
Vos ipfe pacta confero,
Ut eligatis Jefulum,
Aut Barrabam feriffimum.
Qvô liberari maximè
Jefum putavit a nece.

6. Ex his liqvet, qvod Optimus
Confultor ipfe fit Deus,
Qvo non favente in irritum
Conamen exit providum:
Ipfi videmus callido
Technas nocere Pontio.

7. *Crucem fed implacabiles*
Optâre Chrifto principes

Idem-

Idemqve ſtultam poſcere
Plebem incitarunt impiè;
Latronis abſolutio
Sit Jeſuli damnatio.

8. Exempla mundi deſpice,
Nec æmulari ſuſtine
Qvæcunqve facta principum
Laudentur etſi plurimum.
Cæcus carentem lumine
Ducat, cadent miſerrimè.

9. Nefas monentis impium
Evade mox conſortium,
Viri favore proſperam
Ne perde Jovæ gratiam;
Opem nec alter alteri
Pænæ, ferunt, obnoxii.

10. Cautè gerendum Præſidi,
Scrutantur acta ſubditi,
Nec deſit æmulatio,
Ut plurimum ſed in malo.
Qvæcunqve facta principum
Vulgo licere Creditum.

11. Exempla prava, qvæ molæ
Sunt comparata pondere,
Affige nunqvam faucibus;
Delicta pelle Sedulus.
Dei timore nobilis
Eſto figura ſingulis.

12. Uxor Pilati commodam
Viro dedit Sententiam:
Exemplar illud fæminis
Eſt obtinendum Cæteris,
Abigail probiſſimè
Audit, Jeſabel improbè.

13. In corde jam conſidero
Qvæ contigere Jeſulo,
Ipſi qvod imprecantibus
Fatale robur omnibus
Agno ſimillimus tacet.
Solamen inde profluet.

14. Si legis imprecatio,
Hoſtilis accuſatio,
Damnationis formulæ,
Morſusqve conſcientiæ
Me territent, innoxii
Abſolvor ore Jeſuli.

15. Vox judicantis ultimi
Minax, fremorqve tartari
Nunqvam feretur auribus
Meis, qvod ipſe Jeſulus
Clamore ſpretus garrulo
Me liberârit a malo.

16. Terræ poliqve cardines
Meæ ſalutis indices
Clamare, Jeſu! ſentiam
Redemptionem per tuam;

Ex-

Exaudiet mei Deus
Vocem precantis optimus.

17. Cætus fidelis in tuam
Exclamat ergo gloriam
Et gens Olympo fulgurans
Hoſanna laude duplicans,
Qveîs applicatus ultimò
Amen decenter ſuccino.

PSALMUS XXIII.

DE FLAGELLATIONE CHRISTI.

1. *Pilatus innocentem*
Flagellat horridè
Nudumqve ad eminentem
Stringit ligamine
Palum; *Dedere milites*
Verber Deo Cruentum.
Hæc mente ponderes.

2. Carnem ſcias tumere
Pulcherrimam Dei,
Et ſauciam ſcatere
Veſtigiis flagri,
Qvæcunqve vena corporis
Et membra diſſecantur
Dolore vulneris

3. Venæ ſacri dederunt
Fluenta ſangvinis
Guttæqve deciderunt
Ut imber ætheris,
Liveſcit artus ulcere;
Vexatus eſt ſupremi
Natus miſerrimè.
4. Agnoſco me fuiſſe
In vinculis ſitum,
Cordisqve pertuliſſe
Cladem Cicatricum
Lues acerba noxiæ
Venes penetrans omnes
Corrupit intimè.
5. Irata verberavit
Lex conſcientiam,
Formidinem paravit
Pœnæ graviſſimam
Reatus inſanabili;
Cor anxium gemebat
Dolore flebili.
6. Hanc vulnerationem
Salvator aſpicit,
Servi redemptionem
Ligatus efficit
Letale tormentum ferens,
Ne tartari ſubirem
Pœnæ genus freqvens.

7. Su-

7. Sufcepit is dolores
Salute pro mea,
Propter Dei labores
Mœrore libera
Mens gaudet; ejus ultio
Pacem mihi & medelam
Vibexqve dant reo.
8. Triftatur extimefcit
O Chrifte! cor meum,
Spectare dum capeffit
Flagrum rubens tuum,
Meam qvod obftinaciam
Caufam tui flagelli
Plorare debeam.
9. Ergo pedum tuorum
Extrema fvavior
Et nomen ob decorum
Te gratiam precor
Ac laude pronus effero;
Me nunc & æviternum
Perfunde gaudiô.
10. Lætare mens cruore
Sanata Jefuli,
Peccata cum dolore
Adempta funt tibi,
Exceffit iram gratia;
Pro fervulo magifter
Fert fæva verbera.

11. Mens

11. Mens Jeſulo decenter
Perſolve debita
Qvi paſſus eſt libenter
Salute pro tua,
Sanata juſtum percipe;
Ipſius in ſeqvelam
Propenſa maximè.
12. Cui ſi tuum placeret
Corpus per ulcera
Gravare, te deceret
Submiſſio pia;
Is ſuſtinentem diligit.
Qvis Jeſulum ſeqventi
Laudem negaverit.
13. Qvin Servulum ſiniſter
Cachinnus indecet,
Dum cæditur magiſter
Et lacrymis madet;
Aſpectus immaniſſimi
Jeſu! tui doloris
Summum decus mihi.

PSALMUS XXIV.

DE CLAMYDE COCCINEA & CORONA SPINOSA.

1. *Agmen deinde militum*
In Curiam vocavit
Ad exuendum Jeſulum
Turbamqve congregavit,
Pan-

Pannum vetustæ purpuræ
Laudibrii conamine
In ſaucio locavit.

2. Nos veſte ſanctimoniæ
Orbos parens Adamus
Reliqvit, utqve ægerrimè
Hæredium feramus
Mox induit viliſſimo
Iniqvitatis pallio,
Qvæ damna defleamus.

3. Nudus pudorem Jeſulus
Hunc cæſus auferebat,
Integritatis veſtibus
Nos fulgidis tegebat,
Felix aſylum purpura
Ad contegendum crimina,
Qvam ſaucius gerebat.

4. *Fronti plicata ſentibus*
Corona glutinatur,
In ſpiculis pungentibus
Ignita vis putatur,
Cruoris unda deflua
Per os & ſancta lumina
Vexare comprobatur.

5. Lapſi parentis nomine
Telluris exſecratæ
Fructus notantur aſperæ
Cum Carduis enatæ

Spi-

Spinæ; Sed execrabilis
Corona Natum virginis
Compungit obſtinatè.
6. Submiſſione Jeſuli
Felicitas paratur
Terræ, ſalubris altili
Ut fructus egeratur.
Ejus benignitas nova
Qvæcunqve per viventia
In orbe concinatūr.
7. Legalis execratio
Semper mihi ingruebat,
Jeſus ſubivit hanc, reo
Beatitas cedebat;
Sertum Deus clementiæ
Hic & futuræ gloriæ
Mihiqve porrigebat.
8. *Servi dabant arundinem*
Regemqve nuncupantes,
Et cum Cavillis poplitem
Fallaciter curvantes,
Plagas arundine infligunt,
In ora Jeſu conſpuunt,
Qvodvis mali patrantes.
9. Cum ſacra calcas limina
O mens! tibi caveto,
Ne falſitatis conſcia
Jeſum tuum rideto;

Tum

Tum cordis atqve corporis
Genu reflecte ſupplicis,
Preces pias foveto.

10. Apparet hic, ſtipendium
Peccata qvod maneret,
Et ſeculi per ſeculum
Me noxium terreret,
Niſi Redemptor optimus
Hac paſſione Jeſulus
Laudem ſibi mereret.

11. Illuſio graviſſima
Qvæ Chriſte! te ſubegit,
Ad dignitatis culmina
Suprema me redegit;
Ictus tui, clementiam
Opprobriumqve copiam
Laudis mihi coëgit.

12. Vena calente ſangvinis
Me fac tuum ſonare
Jeſu! piis præconiis
Nomenqve prædicare,
Obtemperantem gratiæ
Et ſemper almo Numine
Digneris adjuvare.

PSALMUS XXV.

DE EDUCTIONE CHRISTI DE DOMO PILATI.

1. *Tunc principem piorum*
Pilatus educit,
Turbæ Palæstinorum
Responsa protulit:
Spectandus hic venit,
Cui noxa confitenti
Quæ morte sit furenti
Plectenda deficit.

2. *Sic Spineum ferebat*
Sertum atqve purpuram,
Videtis, inqviebat
Judex, miserrimam
Imaninem palam.
Pergunt, ut abducatur
Et in crucem trahatur
Optare perperam.

3. *Nec juvit excusare*
Nec vera dicere,
Cor ira prægravare
Cæpit caligine:
Fatentur impiè
Natus Dei vocari
Cum vellet, enecari
Legem reqvirere.

4. *Lex*

4. Lex recta depravatur
A gente ſubdola,
Qvod crimen execratur
Mens fraudis integra,
Deiqve ſubdita
Arbitrio potenti,
Et jura punienti
Orbis minacia.
5. Jeſu! tuos dolores
Pertriſtis audio,
Nam perditos labores
Tam ſæpe perpetro,
In teqve confero,
Sed rurſus innocentem
Mens accipit luentem
Perfuſa gaudiô.
6. O Mens! Dei gementis
Cernamus exitum,
Ut gratiæ recentis
In corde jubilum
Reſultet optimum:
Is purpuram rubentem
Fert, ſangvinem fluentem
Sertumqve Spineum.
7. Noxæ rubens cruore
Strictusqve vinculis
Depulſus è favore
Exire Numinis

Cogebar extorris,
Sqvallore delibutus
Opprobrio minutus
Expersqve tegminis.
8. O! Crimen execratum!
O! culpa peſſima!
Qvæ Jeſulum beatum
Mercede ſic tuâ
Vexas per omnia;
Te noſſe blandientem
Doloqve me petentem
Neqvît caro mea.
9. Eductus affluebat
Redemptor ulcere,
Intrare qvi ſinebat
Me regna, gratiæ
Et inde gloriæ;
Hic per ſuum dolorem
Lavit mihi cruorem
Labis graviſſimæ.
10. Exinde prodeundum
Feliciter mihi
Sub ætheris profundum
In pace Jeſuli,
Vi nominis ſui;
Corpus loco qvietis,
Sed ſpiritus viretis
Adducitur poli.

11. Tum

11. Tum gloriæ donabit
Sertum mihi Deus,
Albisqve promicabit
Mens justa vestibus,
Qvas ipse Jesulus
Confert, ab angelorum,
Pilatiis honorum,
Sistar phalangibus.
12. Hunc ecce! præ ducendo
Vox claret agminis,
Qvi multa perferendô
Solebat in terris
Madere lacrymis,
Agni sed innocentis
Triumphat effluentis
Virtute sangvininis.
13. Tunc ore proferemus
Dulces melodias,
Agno Dei canemus
Cum laude gratias,
Victoriæ notas;
Qvod carminis Sonorum
Omnes, genus, Polorum
Delectat incolas.
14. Natus Dei fuisti,
Natus manes Dei
Jesu! tuum dedisti
Hæredium mihi;

O Natâ lux Dei!
Natum Dei ſupernum
Laudent in æviternum
Ubiqve ſinguli.

PSALMUS XXVI.

DE COLLOQVIO PILATI CUM CHRISTO.

1. *Natum Dei vocari*
Judex ut audiit,
Timore conſternari
Idcircò contigit,
Interrogat repente
Sit unde Jeſulus?
Qvô, jurè Conticente,
Cauſa ſuper latente,
Qværebat anxius.

2. *Potentiam fatere*
Ut temet abſolvam
Me prorſus obtinere
Cruci vel affigam.
Jeſus ait: Deberes
Modeſtus effici,
Ni deſuper teneres,
Juris nihil mereres,
Ut imperes mihi.

3. *Qvo-*

3. *Qvocirca atrociori*
Se crimine induit,
Me jam tuo furori
Qvi ſponte tradidit.
Exinde liberare
Vult ille Jeſulum,
Qvô ſe modò probare
Antiſtites negâre
Ex parte Cæſarum.

4. In Ethnicis videtur
Error notabilis:
Qvod nempe procreetur
Proles ab idolis;
Præſes timet, Deorum
Ne ex ſtirpe Jeſulus
Eſſet, volens ſuorum
Juris negotiorum
Vacare partibus.

5. Gentes Deos colebant
Honore maximô,
Fruſtra ſibi timebant
A Numine aureo.
Qvanto magis deceret
Qvemvis fidelium,
Potentiam ut timeret,
Et magna qvæqve ſperet
A Rege Cælitum.

6. Pilatus arroganter
   Jactat potentiam,
Pervertere eleganter
   Caufam ratus bonam
Se poffe; Sic videntur
   Errare plurimi,
Qvi jura, qvæ tuentur
Torqvere non verentur,
   Honore præditi.

7. Deus potentiorum.
   Concinnat ordines,
Cuiqve muniorum
   Partes dat utiles,
Honore cum fruantur,
   Honore debitô
Ubiqve profeqvantur
Deum, nec efferantur
   Faftu veliffimô.

8. Eft ipfe principatus,
   Qvod fubditis liqvet,
A Numine apparatus
   Enfem Dei tenet,
Bonis patrocinatur
   Pacemqve comparat;
Qvi lege non domatur,
Mucrone puniatur,
   Ut facta corrigat.

9. Ut

9. Ut Crimina, & pœnarum
 Differt ſeveritas,
Manentqve noxiarum
 Flagella ſingulas;
Qvi principis verendum
 Scit velle ſervulus,
Ducitqve negligendum,
Strictiſſimè cædendum
 Nulli negabimus.

10. Deus ſuo favore
 Sic principes tegat,
Ut qvisqve cum decore
 Provinciam regat;
Subjecta compareto
 Plebs imperantibus,
In patria maneto
Sanctèqve nos habeto,
 Fides, amor, Zelus.

PSALMUS XXVII.

DE COLLOQVIO PILATI CUM JUDEIS.

1. *Pilatus irâ Cæſaris*
Perterritus volubilis
Educit ipſe Jeſulum,
Scandens tribunal horridum.

2. *Affatur Abrahæ genus*
En vester hicce regulus!
Tollatur, ajunt, arduo
Figendus in patibulo.

3. *Rex vester, (instat) ad putrem*
Nectendus an sit stipitem?
Sceptro fatentur se gravis
Parere soli Cæsaris.

4. *Locus notatur nomine*
Gabbatha, stratus marmore;
Audit Redemptor hic suam
Damnationis formulam.

5. Væ judici, qvi conscius
Contentionis partibus,
Primatis inqve gratiam
Veri relinqvit semitam.

6. A Cæsare iram pertimet,
Ne dignitatem perderet;
Qvam præcavendam Censuit,
Cladem Pilatus rettulit.

7. Væ jura corrumpentibus
Suisqve præferentibus
Nec veritatem commodis!
Sordent in ore Numinis.

8. Cor atqve lingva Jesulum
Nunc alloqvatur Optimum,
Regem Pilatus nominat,
Cruci sacerdos arrogat.

9. O Chriſte! Rex es omnium,
Rex es per omne ſeculum,
Rex angelorum, Rex meus,
Rex dignitate maximus.
10. Miror! tribunal impium
Clamorqve acerbus hoſtium
Tibi parit moleſtiam,
Et abnegat potentiam.
11. Mihi tenebo, Jeſule!
Hæc profutura deniqve
Cum nube celſa in ætheris
Tribunal ipſe fixeris.
12. Gaudebo coram judice
Omni ſolutus crimine,
Mihi beato per vices
Congratulantur Cælites.
13. Regem ſaluto te meum,
Servum vocabis me tuum,
Qvo comparanda cum jugo
Nec regna mundi cenſeo.
14. Gabbatha mundi lubricum
Me ſæpe fecit anxium;
Qvò ductus ipſe Jeſulus
Protector exiſtit meus.
15. Eccleſiæ rex optime!
Electe noſtro tempore,
Sceptro qvieta fac tuo
Cæli feratur gaudio.

PSALMUS XXVIII.

DE PILATI LAVATIONE MANUUM & JUDICIO.

1. *Senſit Pilatus hic ſuum*
Molimen eſſe frivolum,
Neceſſe duxit illicò
Sedetur orta factio,
Satisfacit rogantibus,
Occideretur Jeſulus,
Cum veritatem reſpuat,
Vulgi in favorem judicat.

2. *Manus lavans ad impios*
Dat verba Judæ poſteros:
Vos providetis, æſtimer
Juſti Cruoris integer.
Clamore rurſus excitô
Reſpondet omnis concio:
Hujus viri cum liberis
Rei putemur ſangvinis.

3. Nôrat Pilatus in bono
Non eſſe culpam Jeſulo;
Et poſt & ante criminum
Pronunciavit integrum;
Adverſus ipſe ſed ſuam
Dat jura conſcientiam.
Nefarias imagines
Vitanto noſtri principes.

4. Mores

4. Mores Pilati noxios
Taxare credo plurimos,
Qvamvis eorum ſedulò
Contingat æmulatio;
Metus ſubinde judicum
Captat favorem principum,
Errore plebis eſt malis
Impunitas latrunculis.
5. Odor lucri, conjunctio
Tutela fit piaculo,
Et inferunt argutiæ
Defenſionem Barrabæ,
Tum forte conſtat aurea
Qvanti eſt Achanis lingula,
Gaudetqve judex munere
Plusqvam Pilatus hac vice.
6. Qvidnam Sceleſtis actibus
Anſam dabit creſcentibus?
Incuriam primo loco,
Lucrum deinde nuncupo,
Laudi caducæ deditam
Malis aſylum gratiam,
Legum, timor (qvod accidit):
Qvandoqve vultum deprimit.
7. Manus Pilatus abluens
Sibi videtur pollicens,
Sic liberari crimine
Se poſſe coram Numine.

Viſum

Visum potes mortalium,
Fraudare forte, non Deum,
Cujus scrutantur lumina
Secreta cordis intima.

8. Si rite velles ablui,
Qværas lavacrum pectori,
Qvod præparandum lacrimis
Guttisqve Jesu sangvinis;
Peccata corde defleas,
In morte Christi gaudeas,
Factis scelestis abstine,
Mores honestos expete.

9. Sibi suisqve liberis
Optat reatum Sangvinis
Cæcata mente natio,
Nondum qviescit ultio.
Cautè loqvendum singulis,
Sed maximè irâ fervidis;
Qvantum imprecatio nocet,
Exemplar hocce perdocet.

10. Damnate qvondam Jesule!
Judex venis ab æthere,
Fac judices tibi piis
Dent gloriam sententiis;
Mentes manusqve proluas
Fideqve verâ fulcias;
Nos liberent cum liberis
Tui fluenta sangvinis.

PSALMUS XXIX.

DE LIBERATIONE BARRABÆ.

1. *Ut innocentem tradidit*
Natum Dei necandum
Judex, latronem reddidit
Et censuit
De morte liberandum.
2. *Inclusus atro carcere*
Hic Barrabas vocatur.
Mortalis hac imagine
Angustiæ
Figura prædicatur.
3. Dictô putatur nomine
Natus patris notari,
Lapsum cui, cum germine
Adam tene
Fas esse comparari.
4. Cum jussa spernens Numinis
Pomô ille vesceretur,
Turbator effecit suis
Cum posteris
Ut morte plecteretur.
5. In vinculis Diaboli
Captus necem timeret,
Ejus minores efferi
Vis tartari
Ad ultimum maneret.

6. Mors

6. Mors irrogata ab ethnico
Cum Jeſulo innocenti,
Recepta liberatio
Patri reo
Cum prole confidenti.

7. Cum Protoplaſti filium
Natura me creârit,
Huic figuræ proximum
Statum meum
Qvis eſſe non probârit?

8. O qvam rebellis optimum
Spiramen irritavi,
Ejusqve contra dibitum
Vi Criminum
Præcepta conculcavi.

9. Nec Cædis integer, meæ
Animæ necem peregi,
Et proximum Sæpiſſimè
Diſcrimine
Per ſcandalum coëgi.

10. A rebus admodum omnibus
Hinc deferor creatis,
Orbum patrocinantibus
Carcer malus
Manet ſeveritatis.

11. In

11. In vinculis cuſtodiæ
Lex territat jacentem,
Mortis pharetra pallidæ
Cum judice
Feſtinat ad timentem.

12. Lætum ſalutis nuncium
Nunc audio ſonare;
Pro me ſubîſſe Jeſulum
Mortem, & reum
E morte liberare.

13. Solennis abſolutio
Cor exuit dolore,
Eſt criminum remiſſio
Eductio
De carceris rigore.

14. Qvæ morte digna perpetro,
O! gratia efferenda
Damnata ſunt in Jeſulo,
Damnatio
Non eſt mihi timenda.

15. Mortis ſolutus carcere
Laudi tuæ vacabo,
Tibi redemptus vivere
Nec, Jeſule!
Morive formidabo.

16. Cæ-

16. Cæleſte feſtum Paſchatis
Expecto liberandus
E mortis antrô, Cælicis
In atriis
Cum gaudio locandus.

17. Sic liber ille Barrabás
Cum filiis Adamus,
Jeſu proinde gratias
Humillimas
Laudesqve concinamus.

PSALMUS XXX.

DE CHRISTO CRUCEM PORTANTE.

1. *Miles Orbis Conditorem*
Exuebat pallio,
Et cicatricum dolorem
Exitavit denuo,
Saucio parans laborem
Sub gravi patibulo.

2. *Accidit ſimul Simonem*
Ex agro procedere,
Exterumqve nationem
Impiam præhendere,
Atqve per coactionem
Sub crucem compellere.

3. Per

3. Per ſceleſta polluentes
Facta conſcientiam
Jeſuli fricant volentes
Vulnerum freqventiam,
Expetamus, hos caventes,
Seriò clementiam.

4. Eſſe mundus hic videtur.
Absqve gratitudine,
Jeſulus multis medetur
Langvidis plebeculæ,
Nemo debiti tenetur
Bajulando Stipite.

5. Cum Simone filiorum
Fit beata mentio,
Sic nepotibus piorum
Firma ſtat promiſſio
Et bonis munuſculorum
Certa retributio.

6. Portat obvius ferenti
Exterus Crucem Dei.
Hic figurâ congruenti
Nos, Abræqve poſteri,
Gratiâ qvos negligentî
Perfruuntur ethnici.

7. Sæpe criminum meorum
Refricantur ulcera,
Confcientæ dolorum
Cura fit perardua,
Chrifte! vibicum hæc tuorum
Sanet efficacia.

8. Ad figuram te premebat
Crux onufta, Jefule!
Ligna qvando perferebat
Ifaacus hoftiæ:
Qvi labor mihi merebat
Optimum qviefcere.

9. Te recordor alligatum
Stipitis laboribus,
Et libenter fauciatum
Pro meis erroribus.
Sublevabis aggravatum
Me malis prementibus.

10. Tarda Jefuli feqvelam
Carnis imbecillitas
Sufcipit; fundo qverelam
Tranfigendo femitas,
Ejus implorans medelam
Ad vires gracillimas.

11. In

11. In miſellos comprobaris
    Perbenignus, Jeſule!
Rebus, indigens, amarîs
    Non ero juvamine,
Et meo tibi, rogaris,
    Cura ſit de nomine.

12. Crux ubi tibi ferenda
    Eſt fidele corculum,
Carne forſitan premendâ
    Murmur audis garrulum,
Lux ocelli dirigenda
    Præferentem in Jeſulum.

13. Ne ſodalis ſis latronum
    Non eorum furcifer,
Nec patrator actionum
    Impiarum turpiter,
Sed ſtudens precationum
    Continensqve jugiter.

14. Chriſte memet obtineto
    Mentione ſedulâ,
Mortis horrorem amoveto,
    Liberosqve libera,
Scripta, Liber exhibeto
    Noſtra, vitæ, nomina.

PSALMUS XXXI.

CONCIO CHRISTI AD MULIERES.

1. *Gens exeuntem Jeſulum*
Seqvuta congemebat,
Corona abunde virginum
Ejus vicem dolebat.

2. *Converſus, ore melleo*
Jeſus ait: Sionis
Natæ! fleatis haud meo
Fervore paſſionis.

3. *Sed imminentem filiis*
Veſtris neceſſitatem
Plorate, duri temporis
Propter ferocitatem.

4. *Qvo prolis expers, uberum*
Lactisqve prædicatur,
Dum Sub ruina montium
Protectio petatur.

5. *Si tam furenter ſæviunt*
In arborem virentem
Certè ſagaces colligunt
Qvid fiat ergà arentem.

6. Hujus ſtupendam ſeculi
Fugacitatem honoris
Tractatione maximi
Notatæ ſalvatoris.

7. Eqves petebat Jeſulus
Urbem Die palmarum,
Hoſanna concinentibus
Laudum, piis, ſuarum.
8. Paucis diebus exiit
Actis, crucem ferendô,
Qvod turba amica conſpicit
Defeſſa condolendô.
9. Si mundus ipſe principi
Fallax ſuo probatur,
Servo timenda debili
Deceptio putatur.
10. Blanditur ille ficui
Summum parat dolorem,
Hinc ambiendum nec mihi
Ejus reor favorem.
11. Et me deceret, Jeſule!
Deflere paſſionem,
Qvæ te ſubegit in meæ
Culpæ remiſſionem.
12. Miſertus attamen tui
Te non colo decenter,
Nam gloriam tenens poli
Regnas Deus potenter.
13. Sed perdolendum maximè
Te principem angelorum
Meo luiſſe crimine
Tot turbines malorum.

14. Factis ſceleſtis nam tibi
Auxi graves labores,
Exqviſitosqve corpori
Innoxio dolores.
15. Servata ne ſit ultio
Atrox mihi, timendum;
Vel igne memet inferô
Agnoſco puniendum
16. Tuæ ſubinde fructibus
Lætor piationis,
Pacis mihi qvæ nuncius
Et liberationis.
17. Qvæ mœſta lamentatio
Me terruit gementem,
Determinata jubilo
Per gratiam recentem.
18. Jeſu Salus amabilis!
Noli precor jubere
Mei reatum criminis
Minoribus nocere.

PSALMUS XXXII.

DE ARBORE VIRIDO ARIDOQVE.

1. *Florentis hic a Jeſulo*
Fit aridiqve mentio
Ligni: Subeſt vocabulis
Doctrina clara & utilis.

2. Arbor

2. Arbor ferax virentibus
Onuſta crevit frondibus
Cum carne vellet indui
In orbe filius Dei.

3. Fructus tulit ſvaviſſimos
Sanavit ipſe langvidos,
Mortem & Sathanam deſtruens
Viſus & aures corrigens.

4. Qvicunqve melle ramulus
Fluxit, ſalutis vocibus
Geſtuqve amicô maximum
Mœſtis paravit gaudium.

5. Deo placebat fertilis
Terræ ſalus & ætheris,
Cujus notavit indicem
Jordanis unda & Bethlehem.

6. Integritate floruit,
Dicto libenter paruit
Natus ſupremi Numinis
Et agnus expers criminis.

7. Nec arbor iſta nobilis
Manſit qvieta, nam gravis
Iræ procella proruens
Eſt innocentem puniens.'

8. Si qværis hunc innoxium.
Sibiqve dilectiſſimum
Cur tam dediſſet arduis
Natum Deus moleſtiis?

9. Lignum fuiſſe putridum
Scias genus mortalium,
Radicitus qvod aruit,
Fructusqve iniqvos edidit.

10. Huîc ſtipiti viliſſimo
Terræ colendæ noxio
Exciſionem prægravis
Minatur ira Numinis.

11. Jeſus precatus gratiam
Mortalibus deperditam
Non impetrat, niſi innocens
Pœnas eorum ſuſtinens.

12. Tum Carne ſemet induit,
Ad nos in orbem pervenit
Fuſi valore ſangvinis
Lignis medetur aridis.

13. Se ſubjicit doloribus
Sannisqve pro peccantibus,
Dum verberatur floridum
Lignum vireſcit aridum.

14. Thronum prius celſiſſimæ
Non ſcandit ipſe gloriæ,
Qvam mortis immaniſſimis
Transfixus eſſet ſpiculis.

15. O ſtulta cogitatio!
Humana mens & actio!
Qvæ cæca adhæret omnibus
Ludens iniqvitatibus.

16. Mul-

16. Multis videntur, poſtero
Cum differatur ultio,
A Numine eſſe tradita
Oblivioni crimina.

17. Vexatur arbor florida,
Ignem timebit arida,
Virgam paternam filius
Perfert, flagella ſervulus.

18. O mens amata, ſi Deus
Parcit tuis erroribus,
Dilationem verberis
Tibi ſaluti duxeris.

19. Sum marcidæ par arbori,
O juſte parce Rex mihi;
Arbor virens clementiæ
Umbrâ tuâ me contege.

20. Me ſors manebit aſpera,
Et mors deinde pallida,
Crucis nec absqve pondere
Feram bravium gloriæ.

21. Arundinem fiduciæ
Figo virenti in arbore,
Cujus ſapore melleo
Nullum dolorem ſentio.

22. Me cum premant anguſtiæ
Converſus ad me Jeſule!
Infunde dulcem pectori
Succum levaminis tui.

PSALMUS XXXIII.
DE CRUCIFIXIONE CHRISTI.

1. *Onus Crucis moleſtum*
Jeſus ad ultimum
Calvariæ funeſtum
Pertraxit in locum,
Cum felle turbidum
Mox porrigunt acetum
Qvod Jeſulus temetum
Rejecit horridum.

2. Forma ſub æqvitatis
Fallax hypocryſis,
Ars ficta charitatis
Dolorqve criminis
Fide carens nimis
Eſt virulentum acetum
A Jeſuloqve Spretum;
Res execrabilis.

3. Inſigne dico honoris,
Volente Jeſulô,
Mordacis hic acoris
Si particeps ero,
Me firmet, obſecro!
Sed execrationis
Iræqve potionis
Me felle ſolvito.

4. *Nu-*

4. *Nudum cruci affigebat*
Gens dira Jesulum
Utrumqve distrahebat
Pedem atqve brachium,
Distendit admodum;
Plantas manusqve gratas,
Fuisse perforatas
Clavis, sat agnitum.
5. *Inter duos latrones*
Rex pendet ætheris,
Reddens solutiones
Verbis propheticis.
Electus impiis
Latronibus paratur,
Calumniis notatur,
Servus Dei patris.
6. Recordor hic Adami
Dum nudus astitit
Ligno, sub umbra rami
Latere prætulit,
Qvod pessime egerit,
Perterritus timore;
Qvo mundus in tremore
Iram Dei subit.
7. Affixus ipse Jesus
Hic nudus astitit
Ligno, flagellis cæsus,
Dolore contremit,

Qvam-

Qvamvis bene egerit,
Nulli latens amandus;
Tunc mundus expiandus
In gratiam redit.
8. Manus tuas beatas
Aſpecto Jeſule!
Meoqve perforatas
Agnoſco crimine
Madere ſangvine,
Qvi mentis inqvinatæ
Manusqve fœditate
Me purgat optimè.
9. Viis iniqvitatum
Me ſponte contuli,
Vulnus mihi paratum,
Pedes luunt tui;
Grates ago tibi.
Pacis meum togatæ
Veſtigium beatè
Infige tramiti.
10. Oſi! meam liceret
Carnem patibulo
Figi tuô, abſtineret
Qvovis ut a malo,
Qvod ſemper expeto;
Nam gratiæ potenti
Ex corde obedienti
Servire geſtio.

11. In

11. In perdito latronum
Locaris ordine,
Qvi ſanctus e trionum
Venis cacumine
Rex ipſe gloriæ;
Qvapropter inſerendus
Sum, nobilisqve habendus
Electo in agmine.

12. Dum veſcor aurâ ſvavi
Ero tuæ Crucis
Memor, nec ignoravi
In rebus aſperis
Vitam eſſe pectoris;
Amore concitatum
Vox impleat palatum
Votis humillimis

13. Jeſu graves dolores
In ſtipite arduo,
Adſint mihi favores
Pax & remiſſio
A Numine Optimo;
Qvod Patris atqve Nati
Et Spiritus beati
In nomine expeto.

PSALMUS XXXIV.
PRIMUM CHRISTI IN CRUCE VERBUM.

1. Dum Jeſulum patibulo
 Inſana gens venundat,
Fixiſſe clavis audio,
 Ut ſangvinem refundat
Trabi ſupinus adjacens,
Ad aſtra vultum dirigens
 Suſpiriis abundat.

2. Expandit ulnas optimo
 Ut filius parenti,
Cum lacrymis innoxio
 Cruore decidenti;
Qvid commoveret maximam
Ad ultionem dexteram
 Factô magis furenti.

3. Jeſus precatur hoſtibus
 Ut gratiam ſeqvantur,
Et paſſionis fructibus
 Cum cæteris fruantur.
Pater! remitte Crimina
Qvod hæc, ait, neqviſſima
 A neſciis gerantur.

4. Ediſce manſvetudinem
 Ut Chriſtus exhibere,
Furore, tete neminem
 Lædentium nocere,

Nul-

Nullumqve diris insEqvi,
Vindicta cedat Numini,
Immobilis tenere.
5. Et siqvis innocentiam
Præsumserit fateri
Mortalibus, Deo palam
Reus potest haberi;
Qvis nescit impiissimos
Ad corrigendum devios
Divinitus teneri.
6. Sin impreceris hostibus,
Nil, crede, molliuntur,
Crucem subibis ægrius,
Præcepta negliguntur,
Offendis ipse gratiam,
Turbasqve conscientiam,
Nec damna leniuntur.
7. Da lucidum cor, o Deus!
Fulgente luminari,
Tibi indies prudentius
Qvod pergat applicari;
Meisqve debitoribus
Te gratiam rogantibus
Placebit impetrari.
8. Mundi dolosis artibus
Orchiqve fascinatus
Delicta patro sæpius
Nec rite perscrutatus.

Si mente Cæcutivero,
Soteris interceſſio
Eliminet reatus.

9. Te Chriſte! læſi peſſimos
Inter tenebriones,
Ac per labores impios
Auxi gravationes,
At qvi piaſti crimina,
Et ſupplicantes libera
Me per precationes.

10. Pacem precatus es tuis
Tortoribus nefandis,
Te velle credo proſperis
Ut læter impetrandis,
Deo tibiqve proximus
Frater, miniſter. filius,
Et unus e beandis.

11. Cnm deniqve ingruat mihi
Suprema vis agonis,
Pater benigne! filii
Memento paſſionis,
Dum lacrymis madentia
Ad te levavit Lumina
Salute pro Zionis.

PSALMUS XXXV.

INSCRIPTIO IN CRUCE.

1. *Inſcriptio patibuli*
A præſide ordinatur:
Jeſus novus propagini
Rex Abrahæ vocatur
E Nazareth;
Nec obtinet
Cauſam necis majorem.
Hoc plurimis
Lectum viris
Viciniæ ob favorem.

2. *Lingua exaratum triplici*
Dum principes notarunt,
Mutationem Præſidi
Præſcribere inchoarunt.
Is abnuit,
Et reddidit:
Qvod lucidis paratum
Eſt litteris,
Videbitis
Manere temperatum.

3. Suſpenſus alto ſtipite,
(Si rite ponderemus)
Encomium fert gloriæ
Natus Dei ſupremus.

Nam Jeſulus
Audit ſalus
Mundiqve liberator,
Ab horrido
Diabolo
Fidelium ſervator.

4. Et Nazarenus exprimit:
Ab indolis malignæ
Deformitate claruit
Immunis; hic benignè
Obediit,
Gratus fuit
Deo patri viventi,
Natus placens,
Servus valens
Solertia prudenti.

5. Rex Iſraelis ſplendidus
Sceptrum gerit potenter,
Davidis hæres inclytus
Regnatqve continenter,
Lux ethnicis,
Iſraelis
Laus, una Spes parentum;
Hoc Jeſulum
Credo meum
Decere cognomentum.

6. Hac

6. Hac dignitate Jesulum
Privare cogitavit
Infesta turba antistitum
Et præsidem rogavit,
Ut hunc suum
Mutet stylum;
Recusat id Pilatus:
Namqve a Deo
Permissio
Non fit mali conatus.

7. Deus malorum limites
Ausis jacit nefandis,
Ut qvò finit, ruant leves,
Nec amplius patrandis
Valent suis
Piaculis.
Spem semper in potenti
Figam Deo;
Qvid vult homo
Nocere confidenti?

8. Trilingve Christi encomium
Deo notat probari
Clementiæ præconium
Cuiqve prædicari
Te singulæ
O Jesule!

Lingvæ canant, cruore
Emptæ tuô
Ab effero
Iræ Dei furore.

9. Lingvam mihi vernaculam
Regat Deus clementer,
Ut lucidum per inſulam
Propaget hanc decenter
Verbum crucis,
Qvô ſingulis
Felicitas metenda
Ex ſemine,
Dum patriæ
Sedes manet colenda.

10. Chirographus ſupra meum
Caput, dedit qverelam,
Alter ſuprà Jeſu, tuum
Affert mihi medelam.
O Jeſule
Rex optime!
Regnante te tutamen
Semper mihi
Certum; Tibi
Sis laus perennis, Amen!

PSAL-

PSALMUS XXXVI.

DE PARTITIONE VESTIUM CHRISTI.

1. *Qvando Redemptor arbore*
   Suffixus ingemit,
   Miles prophanus impiè
   Abrepta dividit
   Velamina ejus, tunicæ
   Sortem supertulit;
   Tali peracto crimine
   Grex plebis astitit.

2. *Impletur hic prophetiæ*
   Sermo gravissimus:
   Divisio improbissimè
   Illata vestibus
   Meis, itemqve tunicæ
   Sors ducta protinus.
   In his stupenda gratiæ
   Miracla cerminus.

3. Nudus pependit in cruce
   Salvator optimus,
   Plenus videtur sangvine
   Fluxisse rivulus,
   Contemptus immanissimè
   Dei ipse filius,
   Thesaurus atqve gratiæ
   Prolatus omnibus.

4. Veſtibus iſte denotat
Eccleſiam Dei,
Cum qvatuor ſe dividat
Terræ plagis globi;
Verbumqve tunica exprimat
Prædulce Jeſuli,
Qvod dirimendum pernegat
Scientiam viri.
5. Nullas in orbe Jeſulus
Opes reliqverat,
Præter, qvod ipſe veſtibus
Nudatus, abdicat;
Nec inde mater illius
Qvicqvam recuperat,
Rapina fit latronibus.
Qvis iſta negligat?
6. Gazas modeſtè collige,
Ne cor ſit anxium,
Victum decenter accipe
Contentus additum;
Mortis latebra pallidæ
Rapax ſit omnium;
Auri famem compeſcere
Neceſſe creditum.
7. Hic mens ineſſe militi
Ferina cernitur,
Afflictione Jeſuli
Nec illa flectitur

Erepta

Erepta mica pauperi
Pœnam merebitur,
Ut hancce devites, Dei
Timor reqviritur.
8. Cum nudus alme Jesule!
Ligno pependeris,
Fluente nostra sangvine
Peccata diluis;
Suffimen hujus hostiæ
Placat Deum nobis,
Et nuptiali gloriæ
Nos pallio induis.
9. Est in tuam feliciter
Sors jacta tunicam,
Ubi integrum salubriter
Verbum receperam;
Hanc in dolore firmiter
Attrecto fimbriam,
Angustiarum fons miser
Siccatur & palam.
10. Si mundus iste copiam
Aurumqve dividat,
Ridentis affluentiam
Mors atra terminat;
Mihi, Redemptor! ad tuam
Sors arborem cadat,
Mentem rubens tua in meam
Ut unda defluat.

PSALMUS XXXVII.

SECUNDUM CHRISTI IN CRUCE VERBUM.

1. *Ad Jesuli patibulum*
Mater stetit beata,
Acri doloris admodum
Mucrone sauciata
Charus Johannes & Deo,
Conspexit ille sedulò
Qvæcunqve perpetrata

2. *Matri locutus, fœmina!*
En filius lugenti;
Deinde verba dulcia
Dat servulo præsenti:
Et ecce mater hæc tibi.
Protector ille virgini,
Factus modo decenti.

3. Præceptum obedientiæ
Qvi primus ordinavit,
Felicitatis inclytæ
Promissa nunciavit
Piis parentum liberis;
Artisqve formam amabilis
Redemptor apparavit.

4. Fili! beatitudinis
Si particeps manere
Optas, parentibus tuis
Gratum decet parere

Ju-

Juventa contumaciæ
Cladis fit hæres aſperæ,
Pœnas mali dedere.
5. Orbæ virô ſolatium
Hic demetant, lugentes
Sciant videre Jeſulum
Nutrireqve indigentes,
Si mente caſta ſub crucis
Jugo tenentur principis
Opem Dei petentes.
6. Mater Dei notabilis
Eccleſiæ figura,
Jugo ſubacta qvæ crucis
Et forte qvaqve dura;
Hanc mitis aſpicit Deus,
Verbumqve melle dulcius
Dat, cum benigna cura.
7. Probatur orbe ſæpius
Acerba ſors piorum,
Enſis dolorum fervidis
Cor tranſit optimorum;
Perfuſa vitæ gaudiô
Infeſta valde Jeſulo
Gens ludit improborum.
8. Addicta Chriſto pectora
Juxta crucem tenentur,
Extenſa Jeſu brachia
In ſpiritu tuentur;

Fiduciæ eſt vis luminum
Spectator ejus vulnerum;
Ut fata ſubleventur.
9. Tales benignè reſpicit
Salvator indigentes,
Solatur, adjuvat, ferit
Moleſtiæ rudentes;
Parentis inſtar, editas
Notat ſuorum lacrymas,
Rependit & calentes.
10. Qvôvis premente, Jeſulum
Contemplor in dolore,
Crux ejus, in crucis, meum
Refrigerat, labore
Pectus, meoqve ſingula
Cordi medentur vulnera,
Delector & cruore.
11. Qvando precatur, ingemit
Vovetqve cor gravatum,
Fides ocellos erigit
Ad te neci paratum,
Exinde pœnitentiæ
Fontes patere gratiæ
Vibicibus notatum.
12. Si corporale gaudium
Unqvam mihi licebit,
Fides ocellis Jeſulum
Conſtanter obtinebit,

Am-

Amplexibus crucis ſuæ
Nec ulla vis pecuniæ
Arcere me valebit.

13. Umbrâ licet cucurbitæ
Propheta conderetur,
Ne lucis æſtu fervidæ
A ſole pungeretur;
Jeſu ſed umbra me crucis
Felix ab ira Numinis
Multo magis tuetur.

14. Noctu dieqve, & aſperis
In rebus & ſecundis
Intentus, aſto, ſangvinis
Guttis, cruci, rotundis;
In cruribusqve Jeſuli
Reddenda vitæ ſit mihi
Fugacis aura, mundis.

PSALMUS XXXVIII.

DE CONVICIIS QVÆ IN CRUCE CHRISTUS PERPESSUS EST.

1. *Iniqva gens patibulum*
Qvæ præterit cachinnans
Jactat caput, convicium,
In Jeſulum concinnans.

Pro-

Promissa fallere admodum
Templum Dei ruendô,
Tribus Diebus alterum
Potenter erigendô.

2. Teſtes duo mendacium
Hoc primitus tulerunt
In ore deniqve omnium
Verſatur; audierunt
Divina facta Jeſuli
Perceperantqve ocellis,
Multomagis ſunt dediti
Mendaciis novellis.

3. *Tum Principes, grex militum*
Cum plebe ruſticorum,
Jeſu tonant ludibrium
Et præſules ſacrorum,
Ajuntqve: ſummo Numine
Si natus es, repente
Deſcende ab alto ſtipite
Freqventia vidente.

4. *Qvi plurimis opem tulit*
Deditqve ſanitatem,
Ipſum juvare ſe neqvit;
Lingvarum acerbitatem
Perfert Redemptor optimus
Hanc, & graves cavillas,
Actisqve ſic horis tribus
Sorbet necis favillas.

5. Cru-

5. Crucem Dei ludibriis
Hos dico præterire,
Qvi passionem Numinis
Ex corde fastidire,
Jactare sanctimoniam
Audent, & affluenti
Servire carni perperam
Dispendium metenti.
6. Ut exterus, crucem tuam
Accedo, Jesu Chare!
Permitte, spiritum & meam
Mentem tuum juvare,
Ut intimè considerem
Conviciis divinam
Cum læserint imaginem
Morti suæ vicinam.
7. Sum consecutus gloriam
Templum Dei vocari,
Sacri per efficaciam
Dum contigit lavari
Fontis; sed illud criminum
Ingrata fex subegit,
Carnis petulcæqve admodum
Vis obstinata fregit.
8. Tribus diebus has ego
Promiseram ruinas
Resarciendas illicò
In corde per vicinas.

Fidem atqve pœnitentiam:
Sed debilis valebat
Virtus parum: Calumniam
Jeſus meam ferebat.
9. In proſperis fides mihi
Robuſta qvæ tenetur,
In aſperis arundini
Par mobili videtur:
Virtutis ipſe fructibus
Sum ſtirps carens amœnis;
Potatur ergo Jeſulus
Pro me probri venenis.
10. Perſæpe nævos arguo
Errantium modeſtus,
Dum cæcitatis polluo
Me noxia ſceleſtus;
Infamis hinc ludibrio
Sum dignus imminente,
Aſſumpta qvæ confuſio
A Jeſulo innocente.
11. Letho propinqvus, Jeſule!
Deriſus atqve ſpretus
Es, mortis hora ſit meæ
Ut ſpiritus qvietus
Probrum ferens ab omnibus
Omnes probro ſolviſti,
Nullumqve de fidelibus
O Chriſte! perdidiſti!

12. Me

12. Me qvando pergunt improbi
 Conviciis ferire,
Tua eſt azylum crux mihi
 Qvam nolo præterire,
Hic permanebo, ſi tonet
 Mundus probra indignatus,
Cum Jeſulo, qvem mens videt,
 Qvicqvid pati paratus.

13. Qvi paſſus es ludibrium
 Salvator! & dolores
Tuos Olympus & ſolum
 Decantet hinc honores,
Adoret omnis angelus,
 Et orbe qvod movetur,
A me tuis cultoribus
 Amenqve ſuccinetur.

PSALMUS XXXIX.

DE POENITENTIA LATRONIS.

1. *Unus Deo latronum*
 Suſpenſus illudit,
Opprobrio patronum
 Salutis afficit:
Si natus es tonantis,
 Oſtende, Numinis,
Virtute liberantis
 Nos è periculis.

2. *Alter*

2. *Alter latro regessit:*
Nec tu times Deum,
Qvem pœna digna pressit,
Utriqve præmium
Vitæ admodum scelestæ
Nostrum rependitur;
Hic prorsus immodestè
Nil gessit. Hinc fatur.

3. *Regnô, mei, potitus,*
O Domine! sis memor.
Jesuqve mox auditus
Est melle dulcior
Sermo relatus: Amen
Dico tibi, ætheris
Hoc in die solamen
Mecum receperis.

4. Attende peccatornm
Pœnæ genus dirum;
Cor pertinax malorum
Dum corpus impium
Vexatur. O. Redemptor!
Me qvando corrigis,
Ne sim tui contemptor
Hostisve verberis.

5. In altero decenter
Est pœnitentia
Spectanda, qvi libenter
Præmissa crimina

Con-

Confeſſus, affirmavit
Dignum eſſe præmium
Factis, & increpavit
Errore devium.
6. Jeſum bono Cæleſti
Præeſſe credidit,
Qvanqvam velut ſceleſti
Afflictus hic fuit;
Supplex eum præcatur,
Ut ſit memor ſui.
Spondente qvod notatur
Contentus emori.
7. Sævo ferit clamore
Judæus æthera,
Sic ethnicus ſonorè
Vomens ludibria;
Nec ulla ſe tangenti
Dictorio, Deus
Dat ipſe pœnitenti
Reſponſa protinus.
8. Prædulcis eſt ocello
Jeſu benignitas,
Qvi proprias miſello
Poſtfert moleſtias;
Nec ejus immutatur
Amor dolentibus,
Sed ſemper innovatur
Propenſus omnibus.

9. Delicta perpetrârat
Latro graviſſima,
Et devios calcarât
Calles ad ultima;
Horum Deus videtur
Oblitus omnium,
Qvod gratiæ putetur
Inſigne maximum.
10. Nemo ſibi deſperet,
Qvem ſerò pœnitet,
Cum Jeſulo cohæret
Syncera, & obtinet
Mens gratiam, nec ulli
Addicta termino,
Salutis anſa nulli
Negatur a Deô.
11. Horæ ſed emigrandi
Ne tete crederes,
Aut Numen irritandi
Ardore conflagres,
Tanqvam ſat exhibendæ
Sit longa gratiæ
Ætas, nec inſerendæ
Periculum moræ.
12. Permulta, (mens fatetur)
Peccata commiſi;
Cor pœnitens creetur
Spes & fides mihi!

In

In morte conſtituti,
Memento, Jeſule!
Doloribus, ſaluti
Ut ſiſtar, exime.

PSALMUS XL.

TERTIUM CHRISTI IN CRUCE VERBUM.

1. *Latronis ad preces bonus*
Reſpondet ipſe Jeſulus:
Hac eſt Die, juro, tibi
Mecum videnda lux Dei.

2. Mens chara! pœnitentiæ
Sit qvanta virtus, aſpice,
Doctrina, qvam qvæ prædicat
Exemplo in hocce promicat.

3. Peccata Numen irritant,
Et ſæpe ad iram provocant,
Fuſæ ſed illud lacrymæ
Placant remiſſo crimine.

4. Si ſtricta fervet ultio
Mox gratiam contritio
Impetrat, in primordiis
Deſævit ira Numinis.

5. Cordis repurgat ulcera
Sanatqve pœnitentia,
Solamen affert indoli,
Delectat angelos Dei.

6. Permixta lacrymis Deo
Placebat invocatio,
Semper dedit lugentibus
Refponfa amica Jefulus.
7. Velut bacillô rivalos
De rupe Mofes optimos
Produxit; E Deo pium
Sic gratiam fufpirium.
8. Agnofco me vel, Jefule!
Hujus latronis impiæ
Vitæ fecundum, fi mea
Velis putare crimina.
9. Nunc ad tuam me confero,
Crucem, levamen expeto,
Iniqvitatis pondere
Feffus premor graviffimè.
10. Nudum cruento ftipite
Manus beatas pandere,
Stillante rore fangvinis,
Te cerno plenum vulneris.
11. Præftat mihi folatium
Lytrum falutis hoc meum,
Cordis tui latex benè
Me purgat omnî crimine.
12. Liber crucis doloribus
Jam Rex praes cæleftibus
Lugentis hic, fvaviffimè
Mei memento Jefule!

13. Qvo-

13. Qvocunqve me diluculo
Digneris alloqvi, rogo:
Caro eſt in orbe, cor pium
Mecum ſit hac die tuum.

14. Qvocunqve mane te precor
Fac ſim tibi conjunctior
Hac luce, regnum ut ad tuum
Cor ſemper inclinem meum.

15. Sic mortis horâ frigidæ
Hæc verba amica ſuggere:
In gloriam hac die tuus
Ad me vehetur Spiritus.

16. Dum crux acerba ſæviit;
Occulta majeſtas fuit
Jeſu, tamen Cæleſtia
Poſſedit is palatia.

17. Hac luce: dixit; hinc meæ
Jucunda mortis tempore
Spes eſt: procul cæleſtia
Non tunc abeſſe gaudia.

18. Jeſu! mihi ſolatium
Hæc verba præſtent ultimum.
Tecum fruar longiſſimis
Felicitate ſeculis.

PSALMUS XLI.

QVARTUM CHRISTI IN CRUCE VERBUM.

1. *Terra univerſa triſtibus*
Obducitur tenebris,
Perditqve ſol horis tribus
Lumen ſuum Celebris;
Exclamat ergo Jeſulus:
Cur me relinqvis mi Deus
Malis ſubactum crebris.

2. Hujus nec indignatio
Nec miſſa ſpes, clamoris
Eſt cauſa, namqve Jeſulo
Mens æqva ſub doloris
Perpeſſione; criminum
Notatur hiſce præmium
Pœnæqve vis furoris.

3. Pati Creatorem videns
Sol deficit pudore,
Qvanqvam ſit ejus innocens
Ab arduo labore;
Qvantô deceret affici
Ob paſſionem nos Dei
Cum fletibus rubore.

4. Servus miſer qvam debeo
Ploratibus madere,
Dum Rector orbis audio
Te tantâ ſuſtinere

La-

Lamenta criminis mei;
Ad infimum pedis tui
Supplex volo jacere.
5. In ultimâ caligine
Cum dentium ſtridore
Eſt planctus; hac voragine
Dignus fui, valore
Iniqvitatis; at mihi
Proſunt tenebræ Jeſuli
Ut liberer dolore.
6. In his tenebris flebili
Me voce perſonante
Ad gloriam vocas poli,
Qva luce fulgurante
Jeſu! per omne ſeculum
Laudis tuæ præconium
Lingvâ canam exclamantè.
7. Me ſæpe ſortis arduæ
Me criminum & doloris
Caligo vexat, ut meæ
Jubar tui favoris
Menti coruſcet ægrius;
O ſol beate, mi Deus!
Sonum leva mæroris.
8. Formam docente Jeſulô
Non deſinam clamare:
O mi Deus! velis meo
Dolore me juvare;

Mundi peribit gaudium
O mi Deus! precor, meum
Cor trifte confolare.
9. Cum derelictum Jefulus
A patre fe qveratur,
Ut non relinqvat me Deus
A filio placatur;
Lamenta propter optimi
Clamor gementis & mei
A Numine audiatur.
10. Me luce qvando fenfuum
Solisqve deferente
Mortis venit crepufculum
Lingva fimul tacente;
Clamoris efto Jefuli
Pater! memor, tuo mihi
Palatio patente.

PSALMUS XLII.

QVINTUM CHRISTI IN CRUCE VERBUM.

1. *Doloribus,*
Qvos Jefulus
Perpeffus eft, Sitire
Se clamitat;
Neceffe erat,
Qvæ dixerat
Scriptura provenire.

2. *Hoc*

2. *Hoc audiit,*
Mox adfuit
Qvi ſpongiam tenebat,
Junctam levi
Arundini,
Amabili
Jeſuqve porrigebat.

3. Mirabile
Et flebile
Dictu fuit, regnantem
Terræ, maris
Ac ætheris
Deum in malis
Tot eſſe ſupplicantem.

4. Aqvam prius
Salubrius
Qvi vertit in temetum,
Pro fervidæ
Sitis ſuæ
Levamine
Accepit hic acetum.

5. Qvidni ſuum
In commodum
Permutat & rigentem
Potum, potis
Miraculis,
In palmitis
Fructum ſibi placentem.

6. Hic inclytis
Miraculis
Non tempus eſt patrandis,
Sed Jeſulo,
Pœnis, meo
Perpeſſio
Incumbit irrogandis.

7. Nam ſe boni
Natum Dei
Probat; gerens ſtupenda;
Noxas eum
Ferre omnium
Mortalium
Fex monſtrat haurienda.

8. Curam Deus
Langventibus,
Miniſtrat, afferendo;
Agnus ſacram
Factus palam
In hoſtiam
Pericla ſuſtinendo.

9. Verô modô
Jeſus homo
Torrente vi doloris
Laſſus fuit,
Qvare ſitit,
Ergo bibit
Mordax genus liqvoris.

10. Cauſæ

10. Causæ alteri
Situs Dei
Notetur imputanda:
Vexat bonum
Sitis meum
In commodum
Salute comparandâ.
11. Homo! leges,
Hæc cogites
Et contrahas pudorem;
Sitit tuum
Deus bonum,
Non, optimum
Ejus sitis favorem.
12. Audi mea
Mens intima!
Te sponsus alloqvendô
Inqvit: Sitî
Uror gravi
Salus tibi
Ne desit eligendo.
13. Ipsi malæ
Fallaciæ
Ne porrigas venenum;
Nec optimo
Verbum a Deo
Datum tuo
Perverteris, serenum.
14. Qvam-

14. Qvanqvam gravi
Fas eſt mihi
Mœrore balbutire,
Verbo tuo
Reſpondeo
Jeſu! volo
Clementiam ſitire.
15. Non eſt mihi
Tuæ ſiti
Lenimen expetendum,
Ni lacrymæ
Pura fide
Vas debile
A ſupplice offerendum.
16. Laus gloriæ
Sonet tuæ
Per ſeĉla ſeculorum!
Hæc ſit mihi
Spes gaudii,
Qvod a ſiti
Sim liber inferorum.

PSALMUS XLIII.

SEXTUM CHRISTI IN CRUCE VERBUM.

1. *Poſtqvam bibiſſet optimus*
Mordax acetum Jeſulus
Defecta membra mors vocat;
Eſt abſolutum: prædicat.

2. Per-

2. Perpente mens amabilis!
Oracla ſummi Principis,
Percepta rite, dulcia
Dabunt enim ſolatia.

3. Legem notato primitus
Latam fuiſſe cælitus,
Ut regula eſſet ſingulis,
Adæ, ſuisqve poſteris.

Perfecta vitæ integritas
Cordis manusqve puritas,
Immunitas a crimine
Præcepta lege maximè.

5. Iræ doliqve neſcia
Dilectio gratiſſima
Cordis penetralî intimi
Dei ſit atqve proximi.

6. Servantibus qvæ ſingula
Præſcripta vitæ præmia,
Errore lapſis unicô
Æterna condemnatio.

7. A Protoplaſti crimine
Originis, perſolvere
Nemo valet mortalium
Legis ſeveræ debitum.

8. Gravis reatus omnibus
Excrevit inde, nam Deus
Hominis obedientiam
Clademve poſcit ultimam.

9. Id

9. Id Jeſulus mortalium
Reſpexit infortunium,
Deſcendit alto culmine
Legi ſubactus aſperæ.
10. Noſtra vice ille debitum,
Ad velle patris optimum,
Præſtans obedientiæ
Legi ſatisdedit ſacræ.
11. Sed qvò patrati ſingulis
Solvat reatum criminis,
Legisqve fulmina, in crucem
Eſt actus execrabilem.
12. Ergo peractis omnibus,
Utqve expiârat Jeſulus
Delicta; Qvantum præſtitit,
Denunciandum cenſuit.
13. Idcircò morte proximâ
Proclamat iſta gaudia,
Ut hæc agone in ultimo
Nos impleant ſolatio.
14. Hæc applico Jeſu mihi,
Qvod qvæ meæ negotii
Salutis eſſe noveris,
Perfecta cuncta dixeris.
15. Perfecta jam redemptio,
Legisqve conſummatio,
Impleta vox prophetiæ,
Perfecta ſpes & gratiæ.

16. Pro

16. Pro qvo Deus ſolatio
Grates tibimet offero;
Errata factis in meis
Perfectione corrigis.
17. Seqvatur exemplum tuum
Cor, adjuvante te, meum,
Serena conſcientia
Mihi fidesqve ſit bona.
18. Sermone nixus hoc tuô
Mortem libenter oppeto,
Perfectione nam tua
Peccata deles omnia.

PSALMUS XLIV.

SEPTIMUM CHRISTI IN CRUCE VERBUM.

1. *Clamans Redemptor acriter,*
Inqvit: Tuam, gementem
Commendo Spiritum, Pater.
In Dexteram potentem.
2. O chriſtiane! Jeſuli
De morte cogitato,
Perpende verba, qvæ tibi
Medela vulnerato.
3. Dum Jeſulum ſeveritas
Pœnæ gravis volutat,
Ad mortis actus incitas
Deum patrem ſalutat.

4. Hoc

4. Hoc te benignus edocet:
In anxio dolore
Fidum patrem tibi exhibet
Grato Deus favore.
5. Jeſu licebit nomine.
Deum patrem vocare,
Vexante ſæpe qvod cruce
Multum valet juvare.
6. Ægri miſertus filii
Lenit pater qverelam;
Sic te fovet manus Dei
Promptè afferens medelam.
7. Ex his & immortalitas
Animæ liqvet, rigente
De corpore exul in novas
Sedes migrat repente.
8. Monſtratqve Jeſus, optima
Qvod manſio, viventis
Jôvæ ſit illi dextera,
Mitiſſimi parentis.
9. Hanc in qvietem qvi volet
Poſt fata pervenire,
Manu ſub ejus hic decet
Præcepta cuſtodire.
10. Te ducat æqvo tramite
Summi manus parentis,
Servetur alma gratiæ
Vox corde diligentis.

11. Ma-

11. Manum Dei retundere
Nolito caſtigantis,
Committe te clementiæ
Patris modo juvantis.
12. Humana ſi juvamine
Fraudat manus dolentem,
Tum ſpe fidelis aſpice
Manum Dei potentem.
13. Tam manè qvam crepuſculo
Sint vota ſupplicanti:
Commendo mentem Jeſulo,
Me ſemper adjuvanti.
14. Sic qvando mortis horrida
Vis irruit nocentis,
Celſi benigna dextera
Te ſuſcipit parentis.
15. Ubi nec infortuniis
Nec clade mens premetur
In pace læta numinis
Vultum ſed intuetur.
16. Adhæc notetur: Ultima
In emigratione
Uſus fuit Davidicâ
Jeſus precatione.
17. Non in tua eſt ſcientia
Virtus, qvod impetrandi,
Divina dent oracula
Formam tibi precandi.

18. Obtuſa neſcit indoles
Neceſſe qvid petendum,
De veritate conſules
Verbum Dei legendum.
19. Eſto Deus! pater mihi
Ob Jeſuli favores,
Duc me benignè, ſint mei
Ut integri labores.
20. Me dextra protegat tua
Mundo parum juvante,
Hanc oſculabor, & mea
Te crimina increpante.
21. Hæc dextra firmet ultimò
Agone dimicantem,
In gloriam, qvod expeto,
Meqve evehat micantem.
22. In corde ſervo Jeſuli
Verba ultima exſpirantis,
Extrema ſint & hæc mei
Ex orbe demigrantis.

PSALMUS XLV.

DE MORTE CHRISTI.

1. *Patri Redemptor editum*
Cum reddidiſſet ſpiritum,
Inclinat ultrò maximus
Feſſum Caput laboribus.
Sic mortuus, qvod obſtupe!
Deus pependit arbore.

2.Te-

2. Teſtante Paulo criminum
Mors eſt acerba præmium,
Ejus cruenta ſpicula
Sunt facta legi diſſona.
Qvi peccat, a juſtiſſimo
Damnatur orbis arbitro.

3. Id huc referri non poteſt,
Innoxius nam Chriſtus eſt,
Per ſpiritum Caſtiſſimè
Conceptus ille a virgine
Imago ſancta Numinis
Expers nefandi Criminis.

4. Condigna ſanè Jeſulo
Nec mors fuit, nec ultio;
Cur ergo pœnam ſuſtinet?
Cur morte pallidus riget?
Transgreſſionis integer
Cur cæditur ferociter?

5. Declarat hæc ſanctiſſimus
Redditqve cauſam Spiritus:
Peccata propter omnium
Cæſus fuit mortalium,
Namqve illa vindice a Deo
Sunt imputata Jeſulo.

6. Meo Redemptor crimine
Vexatus eſt acerrimè,
Pro morte digno me feris
Mortis peremptus ſpiculis;

Mihi, qvod ipſe ſic perit,
Æterna vitæ ſpes erit.
7. Offenſa lex periculo
Me deſtinârat ultimo;
Peccata conſcientiam
Mox reddidere ſauciam;
Damnandum inextricabili
Mors implicavit compedi.
8. Culpam mihi lex addidit,
Mortem reatus intulit,
Mors judicandum territat,
Judex ſeverus vindicat,
Vindictâ nunqvam deſinet,
Æterna pœna cum foret.
9. Hic non ineptè dicimus,
Errâſſe legem primitus;
Diris eundem devovet
Qvi fixus arbore oppetet.
Sententiam audet exſeqvi
Mors interemptrix Jeſuli.
10. Me lex reum pronunciat
Jeſum reatus occupat;
Hinc lex inops potentiæ
Me cogitur dimittere;
Mortis retuſô ſpiculô
De carcere elabor ſuo.
11. Æterna cœpit emori
Mors, victa morte Jeſuli;

Res digna funus eſt meum
Perdente morte ſpiculum;
Mors proximus vitæ gradus
Mors eſt lucrum fidelibus.

12. Hæc ſola morti vis ineſt,
Privare luce nos poteſt,
Exſangve corpus ut ſuo
Qvieſcat in cubiculo,
Erepta mens periculis
Cæli fruatur gaudiis.

13. Lethum, Deus! mihi tuum
Vitam dat & ſolatium,
Mortis tuæ efficacia
Mentis riget præcordia,
Contingat ut revellere
Iniqvitatem pectore.

14. Nutante collo amabilis
Mihi, Redemptor! innuis,
Mortis recordar ut tuæ
Pergratus omni tempore,
Ad teqve ocellos ultimo
Levabo vitæ terminô.

15. Jeſu benigne! per tuam
Obſecro, mortem pallidam,
Ut des mihi fauſtiſſimum
Vitæ fidelis exitum,
In pace dormiat caro,
Vitatqve Spiritus polo.

PSALMUS XLVI.

DE MIRACULIS QVÆ AD MORTEM CHRISTI CONTIGERUNT.

1. *Mutante ligno in aſpero*
   (Qvod fas jubet monere)
   Cum morte vitam Jeſulo
   Portenta contigere:
   Aulæa templi ſplendida
   Sunt rupta, ſe vaſtiſſima
   Cœpitqve humus movere.
2. *Diffiſſa ſaxa prominent,*
   Sepulcra mox piorum
   Patent, cadavera obtinent
   Vitale mortuorum
   Lumen, deinde Jeſulô
   Mortis caverna liberô
   Pars urbe viſa eorum.
3. Mirabilis relatio
   Fideliter notetur;
   Ponente vitam Jeſulo
   Mox terra commovetur,
   Dirupta ſaxa mortui
   Vicem creatoris ſui!
   Dolore cogitetur.
4. Saxis utiqve durius
   Cor eſſe cenſeatur,
   Si nec Dei doloribus
   Nec morte conteratur;

Fructus

Fructus an an illa Jesuli
Perpessionis optimi
Mens frigida asseqvatur.
5. Miror libratam pondere
Terram suo moveri,
Raucoqve saxa murmure
Confracta distineri;
Humana corda non bene
Qvæ causa sunt miserrimæ
Mortem Dei vereri.
6. Tapete santuarii
Ruptô scias notari,
Regni decus Judaici
Et sacra terminari,
Summam ferente Jesulô
Oblationem, qvod sacro
Ex codice est probari.
7. Occlusa cæli limina
Mortalibus fuere,
Propter nefanda crimina
Qvæ singuli fecere;
Cælestis at palatii
In morte, claustra, Jesuli
Agnoscimus patere.
8. Ecclesiæ Sacrarium
Nobis & hic patescit,
Præstans ubi solatium
Plorantibus nitescit,

Tandemqve mens in Abrahæ
Sinum beatum gloriæ
Felix iter capeſſit.
9. Defuncta morte Jeſuli
Et corpora excitantur,
Virtute, buſta ſic, Dei
Recluſa nunciantur,
Nam morte Chriſti innoxiâ
Vis mortis atqve ſpiculâ
Infracta replicantur.
10. Ex mortuis reſurgere
Nulli prius licebat,
Qvam mortis atro carcere
Redemptor efferebat
Corpus ſuum, qvi propriâ
Primus, ſalute redditâ,
Virtute prænitebat.
11. *Aſtans cruci Centurio*
Cohorte cum præſente,
Dum Signa ſpectat, horrido
Terrore conſtringente,
Confeſſus hunc innoxium
Dei fuiſſe filium
Domum redit repente.
12. Qvæ plebs gravi crucem Deo
Popoſcerat furore,
Rodente, pectus, aſpero:
Jam percutit, mœrore.

Vi-

Vitanda præceps admodum
Conclusio, periculum
Ruenti ineſt fremore.
13. Divina, morte Jeſuli
Vis ethnicum movebat,
Ubi ille filium Dei
Confeſſus ingemebat.
Meqve à ſceleſto tramite
Deus velit convertere,
Qvo cæca mens ruebat.

PSALMUS XLVII.

DE AMICIS CHRISTI.

1. *Amica, mortuo,*
Gens, corde, Jeſulô,
Procul ſtat anxio
Signisqve territo.
2. *Juxtaqve plurimæ*
Stetere fæminæ,
Præſente funere
Fluxere lacrymæ.
3. Ex hiſce noveris
Qvam ſit volubilis
Fortuna debilis
Mundi rotatilis.
4. Ut mors tibi ingruit,
Affinitas perit,
Tutela diffugit,
Juvare deſinit.

5. Amica pectora
Promunt levamina,
Qvæ mortis omnia
Sunt tempore irrita.
6. Manus juvat sanè.
Langvente corpore
Nemo valet feræ
Morti resistere.
7. Cum fece perdita
Ne pange fœdera,
Si vis novissima
Sperare prospera.
8. Conjunctio tibi
Sit firma Jesuli,
Sed sordeat mali
Dilectio mundi.
9. Hic qvandò deserit,
Te mitis excipit
Jesus, malo eximit
Ad astraqve evehit.
10. Cadente Jesulô
Madere noscito
Dolore maximô
Charissimos Deo.
11. Christi genus lucis
Genus qvoqve est crucis,
Qvi fidus afflictis
Protector est suis.

12. Si ſtent Apoſtoli
Procul, vident pii
Natum ſimul Dei
Adeſſe ſtipiti.
13. Viri atqve fœminæ
Huc usqve pergite,
Fructumqve de cruce
Jeſu prehendite.
14. Adſis cruce obrutum
Fidele corculum!
Lignoqve pendulum
Tuere Jeſulum.
15. Ejus nitentia
Spectato vulnera,
Doloris ut tua
Cedat moleſtia.
16. Si conſcientiam
Peccata ſauciam
Reddunt, cruce editam
Attende gratiam.
17. Serpentis ænei
Aſpectus ut Dei
Medela erat genti
Morſus venenati.
18. Sic te poteſt nullum
Necare peccatum,
Vera fide optimum
Cernente Jeſulum.

19. Te cernö, mi Deus!
Redempmtor! eminus
Spem det mihi tuus
Fidemqve Spiritus.
20. Mæſtiſſimus mea
Contemplor ulcera,
Lætiſſimus tua
Conſpecto vulnera.
21. Fac me, Deus bone!
Nunqvam recedere
Procul tua a cruce
Sanctoqve vulnere.
22. Mihi ſit in tuo
Amore mutuô
Medela langvido
Et gaza mendico.
23. Semper meum tuæ
Commendo, Jeſule!
Spiraculum vitæ
Corpusqve gratiæ.

PSALMUS XLVIII.

DE VULNERE CHRISTI LATERALI.

1. *Mox Palæſtini ad Pilatum*
Ingruente veſpera
Prodeunt ſolennitatum
Ante ſacra maxima,
Tollerentur, impetratum,
Stipite ut cadavera.

2. *Ergo*

2. *Ergo milites eorum*
Jussit ossa frangere,
Utqve fracta sunt duorum
Oppetunt citissimè;
Mortui non est ferorum
Membra Jesu lædere.

3. *Se nec unus abstinebat*
Impius piaculò,
Lanceâ sed hauriebat
Jesuli latus citò;
Unde lympha defluebat
Cum cruore liqvido.

4. Sunt Jehovæ mortuorum
Sacra curæ funera,
Ossa nec Deo suorum
Fracta nec deperdita;
Laudis ejus hinc piorum
Clangat ore musica.

5. Prima Adami dormientis.
Virgo costâ prodiit.
Qvæ Jehovæ præpotentis
Arte facta splenduit,
Nomen illi vir parentis
Exitatus indidit.

6. Sic

6. Sic latus ſuum, ſopore
Merſus alto Jeſulus
Inſecari vult, cruore!
Ut creetur illius
Nupta, donat hanc honore
Nominis, polo inſitus.

7. Inde baptismi docetur
Unda ſacra qvid notet;
Namqve ocellis obtinetur,
Lympha, qvando defluet,
Sola, Jeſu, qvô lavetur,
Sangvinem fides videt.

8. Qvam mihi Thomam liberet
Per beatum dicere!
Cum latus tuum liceret
Vulneratum tangere;
Et mihi, Jeſu! placeret
Vulnus hocce viſere.

9. Vena qvæqve paſſione
Diſſecata Jeſuli
Sangvinis demiſſione
Dat ruborem corpori,
Et ſcatent redemptione
Effluentes rivuli.

10. Ex aperto promicare
Vult amorem Jesulus
Corde proprio, secare
Cur sinit suum latus,
Ergo gratiam applicare
Jure nobis possumus.

11. Arca per fores patentes
Ingredi viventium
Copias sivit freqventes,
Ne necaret horridum
Hoc asylo permanentes
Æstuans diluvium.

12. Sic latus suum beatum
Vult Redemptor transfodi,
Ostium vitæ paratum
Conseqvantur ut pii;
Portus hic felicitatum,
Hic receptus est mihi.

13. Per fenestram sublevavit
Structor arcæ lumina,
Qvando fluctus excitavit
Unda mortis horrida,
Et poli desideravit
Clara nôsse Sidera.

14. Sic

14. Sic apertis, enitefcit
Jefuli præcordiis,
Lux amoris, qvæ calefcit
Virtuofa Numinis,
Hic mihi cœlum patefcit
Sole cum Solaminis.

15. Ut bacillô verberata
Mofis, olim rivulos,
Fervidâ fiti fugatâ,
Petra fparfit optimos,
Caftra circiter locata
Ad Jacobi pofteros.

16. Sic Jehova dum furoris,
Cor, bacillo percutit
Jefuli, grati liqvoris
Fons per orbem ebulliit,
Qvi fitim levat doloris,
Membra feffaqve erigit.

17. Hic abunde recreabit
Fons, novatis viribus,
Hæc latebra me juvabit
Eximetqve cladibus,
Inqve tactis mens ovabit
Jefuli vibicibus.

18. Eft

18. Eſt mihi cor inqvinatum
Exſecrando crimine,
Cordis id tui lavatum
Sit Redemptor! ſangvine,
Et moleſtiis gravatum
Me benignus eripe.

19. Corde Jeſum proſeqvemur
Laude, amore, gloriâ,
Cordis ejus recreemur
Per cruorem & vulnera,
Corde toto gratulemur
Liberanti in ſecula.

PSALMUS XLIX.
DE SEPULTURA CHRISTI.

1. *Arimathenſis nobilis*
Magni Senator ordinis
Joſeph, dolis antiſtitum
Diſſenſit erga Jeſulum.
2. *Diſciplus ejus exſtitit,*
Juſtus bonusqve vir fuit,
Sævos Palæſtinos timens
Jeſum latenter diligens.
3. *Acceſſit iſte Præſidem*
Precatus exorabilem
Ut morte pallidum ſibi
Corpus det ille Jeſuli.

4. *Hoc impetrató, de crúce*
Desumpta membra sindone
Involvit; Huc aromata
Fert Nicodemus optima.

5. *Incisum in horto proximó*
Petræ, Sepulcrum Josepho
Fuit recens, in qvo prius
Nemo qvievit mortuus.

6. *In hoc sepulto splendidè*
Unctoqve Jesu corpore,
Magno fores saxo tegunt,
Funusqve humatum deserunt.

7. *Maria Jacobi pia*
Mater, Salomeqve altera
Et Magdalena amabilis
Pompam seqvuntur funeris.

8. Harumqve, amica Jesulo,
Te junge mens, consortio,
Attenta Principis tui
Debes adesse funeri.

9. Humare cerno Jesulum,
Cum Nicodemo Josephum,
Qvem confiteri primitus
Timor vetabat frigidus.

10. Jam surgit his fiducia,
Vis mentis imperterrita,
Qvæ monstrat illos optimi
Fervere amore Jesuli.

11. Fu-

11. Fumans poteſt ellychnium
Fiduciæ, Numen ſacrum
Afflare, lumen excitans
Virtute ſumma fulgurans.

12. Abſit metus timentibus,
Creſcat fides langventibus,
Donum petant conſtantiæ,
Lucem ſeqvantur gratiæ.

13. Auge fidem, Jeſu! mihi
Dilectionis ut tui
Interna lux renideat
Externaqve acta dirigat.

14. Apparet inſuper Deo
Non diſplicere maximo
Pompâ decente illuſtria
Duci piorum funera.

15. Ædes ſacrata Numini
Corpus fidelis eſt viri,
Qvapropter illud ultimo
Ornes honore debito.

16. Sed hic locum funebria
Non obtinent convivia,
Mores receptos ethnicis
Gens vitet uncta nominis.

17. Cum membra cernis mortui
Mandata terræ pulveri,
Dolore raptus de tuâ
Seqvente morte cogita.

18. Mortem peracto funere
Credas fusurros edere:
Fortasse mansio tibi
Talis futura sit brevi.
19. Salvator o! svavissime!
Sepulte qvondam Jesule!
Funus mihi da prosperum,
Cæliqve dulce gaudium.
20. Me deniqve optatissimo
Perfundit hic solatiô
Corpus sepultum Principis
Nostri in decorem funeris.
21. Corpus sacrum Dei levem
Terræ sacravit pulverem,
Sepulcra grata sunt piis
Cubicula iræ nesciis.
22. Justè pièqve vivere,
Feliciter decedere,
Funus beatum conseqvi
O chare Jesu! da mihi.

PSALMUS L.

DE EXCUBITORIBUS.

1. *Perversa turba antistitum*
Die seqvente Pontium
Accessit, o Pilate! ait
Mentem subit
Fallax qvid iste dixerit.

2. *Post*

2. *Post triduum resurgere*
Se velle mortis carcere;
Hoc præcavendum ducimus,
Custodibus
Cingi Sepulcrum poscimus.

3. *Ejus pedissequi irruent,*
Et nocte forsan auferent
Cadaver, ansa fit malo
Mendacio
Errore cum deterrimo.

4. *Pilatus in custodiam*
Tradit cohortem barbaram
Mox ad sepulcrum prodeunt,
Curam gerunt
Cippum sigillis muniunt.

5. Judæa gens sævissimo
Flagravit iræ incendio,
Cui Redemptor qvod tulit,
Haud sufficit,
In mortuum qvoqve infremit.

6. Amice! duc nefas tibi
In dormientes invehi,
Dei tribunal advolat,
Qvem mors vocat,
Qvisqvis sui curam gerat.

 7. Gens

7. Gens cæca Jeſu maximam
Vult impedire gloriam
Reſuſcitandi, Sed Deus
Divinum opus
Perfecit his conatibus.

8. Si non fuiſſet excubans
Cohors ſepulcrum viſitans,
Incertius qvis duxerit,
Qvod contigit,
An Jeſulus ſurrexerit,

9. Sed hi Deum revivere,
Hi nunciant reſurgere,
Etſi ſacerdotes mala
Pecuniâ
Emere ab his mendacia.

10. Sic impiorum plurima
Conſulta reddit irrita,
Qvod vult Deus, manet ratum
In ſeculum,
Faſtus perit fallacium.

11. Inſtat qvies demum mihi
Juxta ſepulcrum Jeſuli;
Cujus reviſô funere
Lætor bene,
Mortis carens formidine.

12. Tulit reatus is meos
Paſſus dolores efferos,
Mea expiavit crimina
Morte aſperâ
Summa excitavit gaudia.

13. Peccata deniqve in ſuô
Buſto recondit ſaxeô,
Demerſa abyſſo gratiæ
Sunt infimè,
Nunqvam qveunt emergere.

14. Signata jam transgreſſio,
Mens grata pœnitens Deo,
Æterna cæpta ſanctitas,
Qvæ ſingulas
Mentes redundat ad pias.

15. Cordis malam mors Jeſuli
Cupidinem necet mei,
Peccata buſtum condito
Coram Deo,
Firmet reſuſcitatio.

16. Do cor ſepulcrum marmoris
Opus ſacri ſpiraminis
Et linteum fiduciæ,
Qvod indue,
Nardumqve pœnitentiæ.

17. Inte

17. In te volo qviesçere,
Meo qviesce pectore
Obsignet ergo cor meum
Numen sacrum,
Jesum tenebo in seculum.

18. Laus, splendor & potentia
Virtus, honor, scientia
Jesu tibi sit optime
Rex gloriæ!
Amen, perenni tempore,
AMEN.



ERRATA.

Pag. 6. lin. 15. setvitus lege: servitus. p. 7. l. 13. consnle l. consule. P. 8. lin. 18. passiio l. passio. P. 11. l. 5. Jesus l. Jesu. P. 11. l. 6. adstra l. astra. P. 20. l. 9. Qvam l. Qvem. P. 21. l. 3. dolentein l. volentem. P. 26. l. 24. abstincto l. abstineto. P. 26. l. 28. proximé l. proximi. P. 29. l. 14. falcitatis l. falsitatis. P. 35. l. 19. Dei l. Deo. P. 38. l. 27. Tube Tybæ. P. 43. l. 18. His l. Hic. P. 45. l. 13. Gullus l. Gallus. P. 49. l. 23. cæperc l. cæpere. Pag. 53. lin. 3. ED l. DE. P. 61. 25. Jesus l. Jesum. P. 62. l. 14. Vocabant l. Vacabant. P. 68. l. 3. Jesum l. Jesus. P. 76. l. 26. Viritas l. Veritas. P. 90. l. 14. Venes l. Venas. P. 99. l. 8. Pilatiis l. Palatiis. P. 133. l. 19. cermimus l. cernimus. P. 137. l. 11. fervidis l. fervidus. P. 145. l. 19. Dictorio l. Dicterio. P. 148. l. 6. rivalos l. rivulos. Pag. 152. l. 13. deferente l. deferente. P. 155. l. 3. Situs l. Sitis. P. 157. l. 2. Perpente l. Perpende. P. 158. l. 29. & l. est. P. 165. l. 29. vitat l. vivat. P. 166. l. 25. Dolore l. Dolere. P. 167. l. 12. santuarii l. sanctuarii.



